

ANS

71

A
39
516



~~67-7~~ C.15=2.

~~67-9~~

67-8

Biblio.	Almudena
C	AE
Sala	C
Estante	6
Ta b	
Número	144


111816818

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Sala: A

Estante: 39

Número: 516



9-10-21 - 8-10

~~67-7~~ C.15=2.

~~67-9~~

67-8


Biblio	Alfabetico
C	AC
Sala	C
Estante	6
Tab	
Número	144

111816818

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

Sala:	A
Estante:	39
Número:	516

2.



51-3-10

12

SS and S

B.D.S.

2-9-2281

A. 22816

JACOBI
WALLIJ
E SOCIETATE JESU
POEMATUM
LIBRI NOVEM.

*Editio nova cui accedit posthuma ad
Elegias appendix.*



LUGDUNI,

Sumptibus ANISSONIORUM,
JOAN. POSUEL, & CLAUD. RIGAUD.

M. DC. LXXXVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



1928 A
ALCOA
WILLIAM
SOCIETY OF
PRESBYTERIANS
LIBRARY NOVEMBER



ALCOA LIBRARY
ALCOA, TENNESSEE
LIBRARY NOVEMBER 1928
LIBRARY NOVEMBER 1928



ALEXANDRO VII. PONTIFICI MAXIMO, JACOBUS VVALLIUS.

JABITUR quidem adhuc , Sanctissime Pater , Pontificatus tui annus primus : sed cuius dies singulos singulas vitas reputare quilibet possit . Ita multa , ac praelata sunt , quibus non minis tui sanctitatem quotidie tueris , ac sustines . Ut si quis illa temporibus se jungere , ac dispertiri per etatem integrum velit , habiturus sit , unde illam Pontificiis virtutibus impletat , & illustret . Neque sic tantum Roma Imperii tui sedes , & rerum à te gestarum spectatrix sentit , & loquitur : sed hac est omnium nationum , quas ab oraculis & nutibus tuis pendentes è Quirinali monte circumspicis , consentiens & pervulgata vox . Non enim ut odores , aut soni , qui , quò longius feruntur , è languidius sensus afficiunt : ita secundissima de Pontificatu tuo fama ad remotiores populos extenuata pervenit . Sed ut solis lumine illi quidem primum , apud quos oritur ; dein alii atque alii , toto etiam calo distantes , illustrantur , om-

OPERIS

nes ex aquo : ita virtutum tuarum pari omnes
luce perfundimur, & recreamur. Quid, quod ut orientem
solem prius è radiis , quibus opposita longe-
que sub mota montium juga feriebantur , observasse,
regia felicitatis olim auspiciū fuit : ita nunc
latitia nostra pars magna est relucētēm sancti-
tatis tuae splendorem prius conspexisse , quām ex
hoc rerum culmine sese pleniū jucundiūque dif-
funderet. Vidimus quippe , vidimus Septemtrionem
nostrum sapientiae , pietatis , eruditionisque tuae
luce collustrari , ex eoque communi præ sagitione
consecimus id futurum , quod nunc publico terra-
rum bono evenisse gratulamur. Quocircā cūm de
supremā Deoque proximā dignitatem consensu ante-
hac inaudito tibi delata nuntius venit , non quid tibi
debitum , sed quid persolutum esset , intelleximus.
Haret adhuc infixus omnium animis vultus ille
tuus , dignitatis & modestiae plenus : recurruunt veteres
tuae ad religionis propagationem , temporūque
tranquillitatem intenta cura : absolutissima vita
exempla , qua de te sumvit , perire apud se aut
evanescere numquam finet Germania. Habet sua
verba sincerus animus , simulatus sua : aliud ob-
servantia , aliud assentationis ingenium est. At
testis ipse es , quām integra minimae fucata
eminerent ex omnium ore , eorum etiam qui à
Romanis sacris alieni erant , amoris in te , vene-
rationisque significationes. Quò minus speranda
michi est ab iis venia , in quorum manus hi libelli
incident. Neque enim falli sese ferent , cūm eos-
dem tibi videbunt inscriptos , in quibus nihil ferè
deprehendent , quod cum animorum suorum sensu ,
& sanctissimi nominis tui inscriptione conveniat.
Quis eorum , si modò hujus opusculi vestibulum vi-
derit , non continuo de materia judicabit , quam tu
illi

D E D I C A T I O.

illi copiosissimam præbuisti? Id ego verissimè dici
 fateor: at omnium iudiciis sententiisque convi-
 ctus, quem præter te appellem, habeo neminem. A
 rerum tuarum & meritorum magnitudine ad mode-
 stiam tuam provoco, qua & Romam, qua & Italianam, qua
 orbem Christianum ad se convertit, & rapuit. In-
 credibilis omnium erat ad honores tibi deferen-
 dos voluntatum studiorumque consensio: gestiebant
 omnes erumpenti latissimeque redundanti latitia
 paria præstare: columnæ, imagines, statua nulla
 satis magnifica & elaborata videbantur, qua in
 arcus triumphales assurgerent: ut easdem inscri-
 ptionibus te dignis exornarent, contendebant inge-
 nia: septem ipsi colles, ita vivam, gentilitiis tuis
 montibus altius attollendi, sese submittere velle
 videbantur: cum his omnibus modestia tua nutus
 unus occurrit & obstitit, & in egenorum animis
 omnes triumphos, omnia ornamenta honoris, &
 laudis insignia condi & collocari voluit. Hac fa-
 ciet, ut Pontificatus tui gloria alatur memorie
 omnium, sermonibus crescat, literarum momen-
 tis corroboretur. Hac igitur, non solum Ferdinando Furstenbergio Cubiculario tuo, me deducen-
 te, illud mihi sumsi, ut auderem, quid quid hoc
 libelli est, ad sacros pedes tuos venerabundus de-
 ponere. Non quod essem nescius, quid offerrem, sed
 quod exemplis & sapientium vocibus institutus
 mihi persuaderem nihil delibari de cuiusquam glo-
 riâ, si rem exilem benigno vulnu animoque digne-
 tur. Auxit potius, quam imminuit regum laudem
 benevolentia, quâ aut aquam è propinquo fluvio
 exceptam, aut avulsum è terrâ legumen admiserunt.
 Nam i cui nihil ad augendum fastigium
 superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse
 submittat, securus magnitudinis suæ. Neque

ā 3 enim

OPERIS DEDICATIO.

enim ab ullo periculo fortuna Principum longius
abest, quam ab humilitate. In supremo te fastigio
consistentem adorant ipsi, quibus præter te unum ni-
hil est sublimius, Reges : illi pedibus tuis figunt
oscula : illi te communem patrem, discordiarum
moderatorem, belli pacisque arbitrum à Deo sibi
datum vocant : illi potestatem tuam dicam, an
sanctimoniam? certè utramque reveriti coronas
suas & regna confignatis à se literis tibi tradunt,
& consecrant. Reginæ ab ultimo Septentrione sa-
pientia tua famâ excitæ te audire, tibi parere pul-
crius ducunt, quam imperare. Nec me cum his li-
bellis ad te accedere cogitantem majestatis tantæ
splendor aditione prohibuit? Prohibuisset sanè, nisi,
quanta illa sit, ex ejusdem remissione, quā rem te-
nuem, uti confido, excipies, clariùs perspici vide-
retur.

S. D. N.



SIDRO

SIDRONIJ HOSSCHIJ
E SOCIETATE JESU
ELEGIA
AD
JACOBUM VVALLIUM
EX EADEM SOCIETATE.

Vt poëmata sua in lucem edat.

Flos & amor vatum, quo Cynthius ipse canente,
Et veniunt faciles ex Helicone Dea,
Quando erit, ut magnis addat te fama poëris,
A totâ dignum posteritate legi?
Serta quidem, laurosque tibi properamus amici:
Munera privati sunt tamen ista laris.
Immensum tua Musa, nec arctius orbe theatrum
Exigit: hoc spatium laudis habere potes.
Quis tibi non canit hac, & miscet plausibus iras?
Illa tibi irasci me quoque causa jubet.
Quod potes, hoc igitur tantum te posse sciemus?
Solaque spes de te votâque semper erunt?
Vtilis interea, meliorque elabitur atas.
Cessatum satis est: quid vocat ira, sequar.
Nec mihi vindicta est, quam non vereare facultas.
Musarum causa est: & Deus ora movet.
Nec tibi, si causa victus vincaris & armis,
Turpe puta culpa paenituisse tua.
Invidiam, & lauros, & nomen, & omnia vatum
Premia Pierides jam meruere tua.
Sive gravi nixus canis arma virosque cothurno;
Armis digna virum verba cothurnus habet.

ELEGIA

Seu Latiam tentas Venusinâ barbiton arte ;
Proveniunt Latia carmina digna lyrâ.
Seu cantes elegos : Quo dicat Apolline Naso
Implevit numeros iste poëta meos ?
Seu Deus increpuit thyrso graviore furentem,
Nil vulgare sonas : omnia pondus habent.
Sermo fluit purus , priscoque simillimus auro,
Et quem Roma vetus non neget esse suum.
Pars operis quacumque tui , quacumque legetur
Pagina , me verum dicere testis erit.
Cararum interea pretium tibi vile tuarum est ,
Si te nil alind , quam labor ipse iuvat.
Admonui quoties , Debes tua carmina fama :
Fama tuum expectat non patienter opus.
Sic ego : sed mihi tu , Musisque monentibus aures
Obstruis , & paucos poscere carmen ais.
Quid culpam extenuas ? non excusabilis illa est.
Quae labor est meritus pramia ferre , ferat.
Quis , nisi mentis inops , ipsis jam dives ab Indis
Dum redit , advectas in mare mittat opes ?
Numquid Erythræ quas legit litore conchas ,
Rursus Erythræo litore condit Arabs ?
Quid tibi , quid Superis obstas , tantumque recusas
Quantum optare soles , nec tua vota capis ?
Ergo terra tuum cum corpore nomen habebit ?
Et qui te tumulus , tam bona scripta teget ?
Sit tibi mens melior , nec postera nesciat atas ,
Nec tua , te priscis vatibus esse parem.
Marmora Lysippus , vivosque imitantia vultus
Non tulit in caco signa latere specu.
Nec Venerem Cœus postquam pinxitset Apelles ,
Passus in obscuro delituisse loco est.
Tu tua scripta premes ? potiorque marmore & are
Ingenii perdes tot monumenta tui ?
Si furor antiquis placuisset vatibus idem ,
Quid

AD AUCTOREM.

Quid Maro, quid Flaccus, quid modo Naso foret,
Hac eadem magno si mens venisset Homero,
Quis vatum Aoniis ora rigasset aquis?
Finibus exiguis virtus, & inertia distant,
Obruta si virtus semper, ut illa, latet.
Si Calamis nocti tantum tenebrisque laboret,
Exactos Calamis quid mihi jactet equos?
Illa Syracosii toties laudata Myronis
Eacula, qua domino, qua stbi fama fuit,
Plus propè, quam domino, luci debere fatetur;
Hac vitam, hac famam contulit; ille manum.
Ille dedit saxo vitam, lucemque mereri:
Quod vivat, quod adhuc nota sit, illa dedit.
At tibi, si lateas, quid proderit esse poëtam?
Si renuis laurum, quid meruisse juvat?
Quid dubitas, nimiumque times tua credere fama
Carmina: nil illis cura quod addat habet.
Aude, quid trepidas? en cum lauroque tubaque
Fama tuas pridem constitit ante fores.
Hoc aude versare tuos in pulvere currus:
Ne dubita, vinces: palma parata tibi est.
Sæpe aliquis laurosque comis, ederasque precatur,
Imploratque omnes, sollicitatque Deas.
Nec veniunt edera, nec circum tempora lauri,
Nec misero Phœbus, Pieridesque favent.
At tibi quos vivo promittit Fama triumphos,
Paucis post cineres vatibus aqua dedit.
Ipsa tibi defert Pindi de vertice laurum,
Sertaque temporibus Calliopeia tuis.
Ecce tibi assurgit Phœbi chorus omnis, & orat
Ut te respicias, & quod es, esse velis.
Sarmaticas horrens Nasonis spiritus umbras
Dum fugit, & nostram lustrat & ambit humum;
Repperit heredem, dominoque & voque superstes
Incidit ingenio, magne poëta, tuo.

Hunc

AD AUCTOREM ELEGIA.

Hunc tu, quem nec hiems Scythia, nec Casaris ira
Perdidit, hunc in te non superesse sinet.
Hoc tu si facies, tum te de marmore dicam
Excisum è Scythicis pectus habere jugis.
Hoc tu si facies, siam de supplice vindex.
Cornua jam sumsi: dum licet, illa cave.
Indice me (neque enim nomen culpamque tacebo,
Nec mea cum paucis juncta querela venit)
Indice me, donec vates, ederaque vigebunt,
Diceris populi publicus ore reus.
Cedis? an obduras? nec te mea vota, nec ira,
Nec te Parnassi numina magna movent?
Iam feror in pugnam: neque me reverentia vertet,
Aut pudor, aut, tanti causa furoris, amor.
Nec vani assultus, nec erunt sine viribus ira:
Pierides nobis, & dolor arma dabunt.
Trans ego Pyrenen, trans altas audiar Alpes,
Vena mihi felix sit modo, parque tua.
Solis ab occasu mea vox pertinget ad ortum,
Nec te posteritas nesciet esse reum.
Sed puto, flecteris: si falles, pagina testis
Hac maneat culpa tempus in omne tua.

A D L E C T O R E M.



U M Q U A M mihi consilium fuit,
Amice Lector, libellos poëmatum
scribere, nedum publica de iis judi-
cia experiri. Verùm cùm Musas sive
naturæ quadam inductione, sive ea-
rum elegantiâ atque suavitate captus sic ama-
rem, ut illæ me vicissim non omnino negligerent,
& cùm ita res ferret, tentanti dictarent aliquid,
quod legi posset, factum est, ut me priùs inter
Poëtas censeri posse animadverterem, quàm ipse
me poëtam esse crederem. Nimirum ut illi in-
terdum, qui utiles herbas in montibus legunt,
legendi studio in eorum fastigio consistere se
priùs vident, quàm eodem eniti constituerant:
ita dum hæc studia me oblectant, & nunc meā
sponte, nunc amicorum rogatu elaboro aliquid,
èò me paullatim dies, & nonnulla sedulitas in-
scientem deduxerunt, quò vix me pervenire posse
speraveram. Quæ igitur diversis temporibüs va-
rio argumento à me scripta fuerant, cùm ejus
artis periti legerent probaréntque, eadem ut in
publicum prodire permitterem, impetrarunt con-
victio pñè quotidiano, sed amoris & commen-
dationis pleno, quale in superiore Elegiâ expre-
sum vides. Veritati quidem aliquid, plus amici-
tiæ ab iis tribui facile suspicabar: tamen utrique
locum dedi. Et, amabo, quæ pulcritudinem un-
quàm suam audivit commendari, nec credidit?
Forma, ut pessima sit, nulli sua non placet. Nam
quid hîc multa excusem, qui, si excusandum à
scriptore quidpiam sit, semper existimavi id unâ
litrâ

P R A E F A T I O

liturâ potius quâm verbis confiei oportere : in poësi præcipue, in quâ si optimo scribendi & judicandi magistro standum est, mediocribus esse non licet. Neque tamen mihi non aliquid subinde in mentem venit, quod hujus qualis cumque libelli editionem inhiberet, hoc præsertim saeculo & erudito, & culto, & quo vix totidem rudes receperias, quot olim sapientes repertos fuisse ac pimus. Sed cum eruditionem ferè omnem ad utilitatem & quæstum plerique conferant, granum etiam, unde vicitent, si fas est credere, præ gemmâ habitari, inutilia hæc, ut ipsi quidem loquuntur, & inania Musarum oblectamenta haud magni putant, quia cœna duci sine illis potest. Quò sit, ut si quem poësis delectet, necesse pro pedium sit, ut benè vivat, & lateat ; quorum alterum conscientiæ, alterum arti excolendæ tribuat, ampla graviorum studiorum præmia aliis relicturus. Ad hæc, dum quidam ingenio suo, bono quidem, sed præfidenti tamen, & quod miserâ arte fortunatus sibi esse credunt, plusculum favent, illicò si in libellum novum inciderint, fastidio nescio quo evicti pulcrum putant non pauca carpere. Cur, inquiunt, hoc omisit : cur illud pleniùs non tractavit ? in isto quid necesse erat ita multis immorari ? illud, & illud quâm amplam & rei convenientem materiam dabat ? Sic nonnumquam tecto ædificiis imposito notantur & perstringuntur multa : hoc angustum, illud amplum nimis : hoc non assurgit satis : in quo soli istud obversum : aliud non quo debebat loco situm, & sexcenta ejusmodi. Hæc judicia ut vitate quispiam velit, vix est ut possit. Neque dubitant ingeniosi illi, quin haud paullò meliora, qualia sibi semper comminiscuntur, scripturi sint dummodo aut otii tantillum à se imperarent, aut patientiæ,

AD LECTOREM.

tientiæ, ut cum Musis in gratiam redeant, & ad pluteum paullisper meditabundi consideant. Quos ego quidem tam magnificè & sentire de se, & loqui facilè patior; hoc minus æquè, quod, cùm non etiam nihil possint, & tamen de Hippocrate, uti canes de Nilo, biberent fugerintque, ad judicii sui laudem, & reconditionis doctrinæ existimationem interessere putent, palam efferre, quām nihil aut parū sit, quodcumque diuturnus aliorum labor extruderit. Sed, si dicenda res est, corum quisque

i sudet multum, frustraque labret

Ausus idem.

Quantò illi rectius, qui, cùm disciplinæ alicujus arcana penitus se introspicere existimant, ex eo potius laudem sibi conficiunt, quod, quæ in aliis bona sunt, expendere suis momentis, & commendare explicando possint? Domum à perito architecto constructam ingressus, quis non ex Vitruvianis regulis, si modò eas ipse calleat, & observatas videat, laudet potius, quām, ut nihil est ab omni parte perfectum, arguat nesciō quid, dumque in eo totus est, tot alia concinnè elegantèrque disposita velut inobservata prætereat? Sed querelis ne tum quidem, cùm necessariæ sunt, est locus & ab hac certè præfatione alienæ prorsus videantur, in quâ bonis & comibus verbis Lectorem ad hos libellos percurrendos invitare convenientius sit. Quare cùm nihil æquè animum conciliet, quām reverenter alterum habere, volui, Eruditè Lector, si minus id præstiri, convenit te mihi ignoscere, volui sanè eum tibi honorem tribuere, quem hospes hospiti, cuius gratiâ, si fortè cum eo convivere lubeat, nihil, quod ad epulas, aut addita epulis oblectamenta pertinet,

sumtui

i Horat. de Arte Poës.

P R A E F A T I O

sumtui parcit. Nequid igitur tibi aut insipidum
 aut ingratum offetrem, impensam, quam quidem
 opes meæ ferre potuerunt, lubens volensque susti-
 nui. Nam cur indignum putem cum Oratorum
 Principe fateri, me, quò minus ingenio possum,
 subsilio mihi diligentiam comparasse? Detinuit
 me saepius epistolæ ad Atticum insignis omnino
 locus, in quo magnus ille dicendi scribendi que
 artifex prodidit, quantum studii, curæ, judiciique
 conferret ad delectum proprietatemque verbo-
 rum, suavissimam ad capiendos legentium ani-
 mos illecebram. Scriperat librum nescio quem
 (nam & ille injuriâ temporum intercidit) &, ut
 cum Attico illi erant omnia communia, commu-
 nem cum eo fecerat. Legit enimverò librum At-
 ticus diligenter: nec dubitavit vir prudentissi-
 mus eloquentiæ patrem per literas de voce uni
 commonere. Dixerat ille, 2 sustinere remos;
 inhibere, arridebat Attico magis. Et ille quidem
 amici primùm iudicio suum submittere: verbum
 posteà excutere: excusso sententiæ suæ priori
 adhærescere. Satísne hoc homini diligentí fuit?
 etiam Attico præcipere, Varroni similiter, ver-
 bum, si forte submovissent, loco suo restituerent.
 Quid præterea? laudare Lucilium & Carneadem
 sic locutos: causam etiam, cur ita sentiret, redi-
 dere: ad extremum non diffiteri, hoc à se dili-
 gentius curatum esse, quam quod ad publicas
 privatásque res pertineret. Tantane vocis uniuersi-
 mutandæ retinendæve cura virum maximum in-
 cesserit! Atqui scribendi & loquendi leges au-
 thoritate suâ figere ac refigere posse videbatur.
 In foro, in curiâ, in iudiciis dominabatur, ac
 triumphabat: nec jam Oratoris, sed Eloquentiæ
 nomen sibi comparaverat. Et tamen non se nugau-
 agere

A D L E C T O R E M.

agere credidit, cùm de verbo uno laboravit. Ris-
serit aliquis, si parùm propriè dictum esse con-
tendero, *valerudini fideliter inservire*: at risum
ipse merebitur, si quam Tiro ³ Ciceronis libertus
reveritus fuit, censuram defugerit. Quid híc
ego nunc de Poëtarum nostrorum curâ loquar,
quando optimi magistri præcepto jubemur car-
men hoc ipso reprehendere, quod perfectum
cùm fuerit, decies præterea ad unguem usque
castigatum non sit? Alia profecto in judicium
subselliis, alia in Musarum sacrariis excentur
judicia. Illic capitales homines & pestiferos de-
cem pœnâ eximi potius videoas, quâm multari
probum unum: híc, ne versicolor unus incultior
servetur, oblitterantur elegantes decem: quasi his
ad noxam satis sit sententia cum illo cohærere.
Quam judicii & emendationis severitatem cùm
quotidie magis magisque animadverteremus in
paucis illis ac præcipuis, quorum tantum exem-
pla intuiti sumus, crevit in nobis illorum vene-
ratio, & cum cå studium, & animus, & spes scri-
bendi aliquid, quod qui legeret, ab iis non abi-
ret. Porro ut pictores interdum imagines suas,
sic nos libellos nostros singulis singulos inscri-
psimus. Quod etsi veteri recentique more à me
factum est, vereor tamen ne non rerum mearum
exiguitas cum eorum quos ad id delegimus am-
plitudine convenire videatur. Cùm esset, ut Ci-
cero refert, ⁴ apud se ad Lavernium Scipio³, ac
fortè allatus illi esset acipenser piscis in primis
nobilis, unum & alterum ex iis qui cum saluta-
tum venerant, invitavit, plurēisque etiam in-
vitarurus videbatur, cùm in aurem Pontius:
Scipio, vide quid agas: acipenser iste paucorum
³ Lib. 16. Epist. 17.
⁴ In fragm. lib. de Fato.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

*H*ominum est. Poterat & mihi Pontianum illud quispiam insusurrare, qui vidisset ad rem omnino modicam tot ac tantos à me evocari. Neque ego in illius sententiam non lubens volensque convenissem, nisi credidisset fore, ut artium nostrarum cultores fautorésque rei etiam parvam pro suâ humanitate non parvo aestimarent. Hortorum cultores exiguae in illis areas describunt, & hīc floribus, illic peregrinis plantis, alibi arboribus confitas suis spatiis ac septis ad elegantiā aliquam includunt: cur ab his exemplum mihi non liceret capere? Ego verò cepi, & libellos meos paucos & exiles non inconcinnā partitione distinxī: & si mihi quidem tam ambitiose esse fas sit, ut cum Cyro Persarum Rege me componam, ut ille Lysandrum, Lacedæmonium, vi-
rum summæ virtutis, ita ego non unum auctori-
tate & eruditione præstantem in hortulos meos deduxi. Ingredere & tu, Amice Lector, si cura
tuæ sinunt; & otii tui secessum hīc aliquem ca-
pe. Siquid fuerit, quod in iis te teneat, si ejus te
delectet sollertia à quo scilicet omnia dimensa
atque descripta sint, erit quod te amem in isto
tuo judicio, & cum eodem Rege, pari sensu, non
absimili vultus hilaritate tibi dicam: Atqui ego
ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea des-
criptio: nihil istarum, quas hīc vides, rerum non
meo elaboratum ingenio, non meâ digestum in-
dustriâ.

JACOBI




JACOBI
WALLIJ
HEROICORUM
LIBER PRIMUS.

PHILIPPO IV.
HISPANIARUM
Indiarumque Regi Catholico.

Cum à Fontarabianâ victoriâ venerabilem
Eucharistiam Madridi, è templo S. Joani-
nis ad facellum Regium sollemni pompa
deduceret anno 1639. 10. Martij.

Nominis Austriaci columen, gemi-
nique Philippe,
Orbis amor, Divumque genus, cui
pectore cura
Prima sedet clauso Europam com-
ponere Iano,
Et Gangem super, ac domiti latera ultima mundi,
Oceanique vias Romana extendere facta.



2 JACOBI VVALLI

Perge Deum pompā insigni & sollemnibus aris
 Excipere , augustosque adytis submittere fasces.
 Hæc pietas, famæ meritò pars maxima vestræ,
 Austriacas sustentat opes. Hinc vivida bello
 Dextra viris, audēnsque animus, certusque pacisci
 Sanguine speratas dubia inter prælia lauros.

Non ego fatidicæ revocabo oracula vatis ,
 Rudolphoque datos monitus : non horrida bella;
 Disiectasque acies, raptosque in vincula reges
 Hic repetam. Tu prisca tuo Fonrabia vati
 Testis eris (pompæ causas námque ipsa dedisti ;
 Quam canimus) non arma aliis tractare Philippum
 Auspiciis, neque malle aliis solemnia dona
 Ferre tholis. Sit fas ritus, & sacra , diémque ,
 Et studia, & plausus procerum memorare canedo.
 Hos mihi quādo animos Musisq; & Apolline majori
 Inspirat victor. Jam ruperat otia miles,
 Jam facies Terrorum omnes, Irásque, Minásque
 Intulerat campis Mavors, cùm torvus ab alto
 Vertice Pyrenes in Iberos impulit hastam,
 Immeriti belli signum. Simul æthere toto
 Æra procul, lituique, & rauco cornua cantu
 Insonuere : tremunt diro juga pulsæ fragore.
 Audiit & fulvis longè Tagus : audiit Astur ,
 Astur equo celer, atque animis dextrâque timido
 Cantaber. Ante omnes sese Fonrabia posci ,
 Incessosque aditus claudi videt. Undique miles
 Imminet , & fossis urbem jaetisque coronat
 Molibus: armatæ prætexunt litora puppes.
 Tormenta hinc muros lacerant : hac vinea serpit
 Hic aperire viam labor est. Obsessa juventus
 Pectora pro vallis, quæ Mars acerrimus instar,
 Objectat bello, letumque hostemque lacebit.
 Nec, si fortè arces labefactaque mœnia fundo
 Versa cadant, non in mediâ perstare ruinâ
 Gestiat, atque omnes pugnando absumere vires.

Quix

HEROICORUM LIB. I.

5

Quin & femineas animas, res aspera quando
Urget Amazoniâ fusos mutare securi,
Æmula sollicitat virtus, stimulatque volentes.
Stant operi accinctæ matres, nataeque nurusque
Certatim auxilio subeunt. Nil Martius urbis
Confusæ strepitus, nil ipsa pericula terrent:
Urbis amor prohibet. Pars pulvere feta nigranti
Dolia convestant: pars arma, ignique fovendo
Materiam funes facilem, glandesque ministrant.
Arbuteas aliae corbes, munimina valli,
Ingestâ stipant terrâ: defessa virorum
Corpora procurant aliae, Cereremque canistris
Expediunt, & vina cadis. Amor omnibus unus,
Fortunæ & belli quemvis durare labore.
Intercà si forte aliquem juvenumque, senumque,
Aut patrem procùl, aut cognati sanguinis unum
Aspiciant cecidisse, nihil muliebriter ausæ,
Corpora (sunt animi, sunt hæc in pondera vires)
Stragibus eripiunt pariter, fortisque, piæque.
Dein cæsos condunt tumulis, aut vulnera lymphis
Cruda fovent, mollique manu medicantur &
herbis.

At non indigni gemitus planctusque sequuntur
Feminci. Vitam credunt, aut vulnus honestum
Pensari decoris pretio benè. Vos ego matres,
Invictæque nurus, vos, si quid Musa canendo
Nostra potest, leto immemori & pallentibus umbris
Eripiam vates. Dicam muliebribus armis
Defensam, dicam thalamis carisque priorem
Pignoribus patriam. Vobis hirsuta leonum
Tergora pro pallâ signis gemmisque rigente
Injiciam: vobis galeas cristasque comantes
Pro crinali auro, & vittâ lucente smaragdis.
Addam habilem lœvæ clypeum, flammisque vo-
mentem

Ægida pectoribus. Tum fulvæ cuspidis hasta

4 JACOBI VVALLII

Implebit dextras : irâque & sanguine torvis
 Scintillæ absistent oculis. In prælia poscat
 Penthesilea viros , lunatisque agmina peltis
 Instruat, exsertumque latus pugnae aptet & armis
 Bellatrix. Optet Volscâ de gente Camilla ,
 Femineis calathis studiisque infusa Minervæ ,
 Tyrrhenos equites collatis obvia signis
 Excipere. At vestros non impar fama triumphos
 Vulgabit terris ; & vos ego dicar ad ortum ,
 Dicar ad occasum priscas Heroidas inter
 Sideribus quondam mediis , cæloque locasse ,
 Haud ulli veterum patriâ virtute secundas.
 O mihi tam magnæ veniant ad carmina vires !

Et jam bis vacuo , bis pleno viderat orbe
 Cynthia bellantum casus , Martisque labores :
 Jam vallo everso , jam muri parte revulsâ
 Hispanus tandem longum trahit agmen , & host
 Fit propior. Signa anteunt , & classica circum
 Pulta sonant: equitū nimbus peditumque coruscus
 Insequitur. Sed enim tardè venientis Iberi
 Rideretur virtus , & tutus cespite miles
 Securas vigilat per propugnacula noctes.
 Heu rerum ignaræ mentes , & noxia sæpe
 Credulitas! Quid castra juvât, quid valla, moræque
 Fossalium ingentes, si bello lecta juventus
 Ut primam effudit rabiem , sibi degener ipsa ei
 Deficiensque labat ? sic primo animantia mor
 Letiferum ejectant virus , pariterque sequaces
 Exspirant animas. Pugnet modò, præmia pugnae
 Cunctator miles referet, seu rumpere vallum ,
 Sive acie juvat , & medio concurrere campo.
 Usque adeò audaci nil non superabile Ibero ei
 Quondam etiâ i veniet (Phœbus, certissima Phœbi

Sig.

¹ Post Fontarabiam anno 1638. obsidione liberata
 liberata deinde est Ilerda anno 1646. à Marchio
 de Leganez ; ab ipsis obsessis, anno 1647.

HEROICORUM LIB. I. 5

Signa dedit) venier, quam tristia fata minantur,
 Atra dies, quâ se captam mœrebit Ilerda.
 Mœrebit Sicoris, vacuoque reconditus antro
 Augebit miseris captivas fletibus undas.
 At benè, quod tantos mox solatura labores
 Proxima libertas aderit, fractisque catenis
 Servitum excutiet Sicoris pater. Heu quibus ille
 Auspiciis patrio Mavortem avertere regno
 Incipiet! quanto pacem promittere bello!
 Ipse superfluo stagnantes sanguine ripas,
 Et spoliis currus gravidos, direptaque signa,
 Aerque nequidquam flamas jaculata, ducēsque
 Impulsam ante aciem stratos, longumque cruentum
 Argumentum operis fulvâ cœlabit in urnâ
 Quâ vacat. Ardentes nāque illic ² sculpsérat olim
 Cæsar & generi pugnas. Hic stantia summo
 Signa adverâ jugo, divisâque flumine castra
 Fecerat. Hac ibat Sicoris: pons additus amnis
 Hic erat: hîc leni tumulo surgebat Ilerda.
 Fecerat & summis liquentes rupibus undas
 Diffundi latè campis: innare videres (arma.
 Quadrupedesque, virōsque, abreptaque fluctibus
 Exiguas juxta lento de vimine linctas
 Extuderat, pontesque novos. Neu turbidus amnis.
 Impositas iterum disturbet gurgite moles,
 Scinditur in sulcos, sectâque it debilis undâ.
 Haud procùl inde hoste Cæsar, dum jam undique
 Obsidet, ac visis sitienté fontibus arcet, [clausum
 Patere imperiis, ac iussa facessere cogit.
 Parte aliâ insignes vittis, & dona ferentes
 Quinque oratores veniam pacemque precantur.
 His super admirans oculos per singula volvit
 Cœruleus pater, atque operis monumenta futuri

A 3

² Qua in hac digressione finguntur Sicoris urna
 insculpta, fusè Cæsar narrat lib. I. de Bello
 Civili.

Secum agitans, nihil hæc priscis cessura fatetur,
Arma armis, animis animos, Magnumque Philippi
Juliadæ, Martemque ausus componere Marti.

Ergo ubi disjecto patefactos aggere muros
Hostis habet, quamquam vis jam maturior urgeat
Non tamen eversis pariter cum mœnibus, urbis
Spes & opes cecidere. Viam reperire salutis
Ardet Iber: quacumque animi jam plenus & iras
Se campis infert mediis, agit ante Pavorem,
Præcipit emque Fugā, & trepidas formidine Curas
Et Spes diffisas votis, simulacraque Leti
Tristia, pallentes amissio sanguine formas.
Infelix pubes, quæ circum plurima muros
Fulminat obfessos bello, turbata tumultu
Miscetur pavido: volitant trepidantia circum
Castra duces, mussantque metu: coit omnis in unum
Horreficitque acies. Nusquā mora: dat tuba signū
Fit fuga: ceduntur: nec quisquam exterritus hosti
Sustinet adversum, & ferrum letumque ferentem
Projiciuntur opes: sua cuique onerosa gravisq; et
Sarcina: non currus secum, non arma juventus
Fessa trahit. Galeæ passim, cristaque per agros,
Scutaque, loricæque, & lato hastilia ferro
Strata jacent. Heu quantus equis peditumque ca
Sudor adestrat! terrent vultus instantis Iberi. (terris
Qualis ubi Æmonius vacuo venator in arvo
Depressam insequitur cervam, quā picta rubentum
Linea pennarum clausam tenet, & quore septo
Illa volat, cursuque canes & hiantibus instant
Morsibus: eluso crepitant à vulnere malæ.
Tum si forte procùl descendere monte leonem
Conspexere, pavent: nec jam spes ulla moratur
Dissuadetve fugam: latebris cōduntur & umbris.
Ille fremit, quassatque toros: tremit omnis ab alto
Prospectans scopulo pastor. Non mitius hostem
Perculit adventans acies. Nihil ille nec ausus,

Nec

HEROICORUM LIB. I.

7

Nec potuit : dat terga fugæ , defixaque vellit
 Signa locis , magnique perit fiducia cœpti.
 Haud aliter Senonas quondā Brennūmq; Camillus
 Exultantem animis Tarpeiâ depulit arce ;
 Appensūmque auro gladium, & funesta minantem
 Excidia , Ausoniidūm procūl à cervicibus egit.

At non victorem plausus tetigere Philippum:
 Nec super ipse suo molitur Marte triumphum.
 Numinis auspiciis hæc, inquit, movimus arma:
 Illius auspiciis quoque vicimus : illius aris
 Nostra triumphales debet victoria lauros.

Austriadæ (proavūm memini lätórque meorum)
 Auspice te duros quoties terrāque marique
 Fregerunt armis populos, tibi magne tropæum
 Bellipotens statuere: & stirps ego sanguine ab illo.
 Tantūm effatus ad augusti penetralia tecti
 Sollemnes duci pompas jubet. O ubi turres
 Hesperiæ, ingentésque arces ! ubi Mantua regum
 Austriadūm sedes ! ubi Divūm limina, & aræ
 Laurigeræ ! Méne æthereas non posse per auras
 Triptolemi currum admissis impellere habenis ?
 Nec procūl evectas rapere ad spectacula Musas?
 Non illic curru niveos subjunxit eburno
 Victor equos, meritâ redimitus tempora lauro.
 Non illic domitos , & adhuc crudelibus hostes
 Ardentes oculis, aut longis squalida tectos
 Ora comis, currus videas anteire superbos.
 Non versas in terga manus strictosque lacertos
 Vincla gravant : nullis stridet via sacra catenis.
 Nec me spectandi studio jam prisca triumphi
 Detineant simulacra, animum neque prælia pascat
 Picta meum. Non si turfum ad Capitolia Gallos
 Cæsar, seu Numidas Marius, vincitūmq; Jugurtham
 Vrctor agat. Non si Patres, effusaque totis
 Obvia Roma viis, atque oppida facta metallis,
 Aequorāque, & fractis mcerentes cornibus amnes,

Exuviæque ducum, captivâque vestis, & ingens
 Argentum, series olim longissima pompa,
 Multâque Clitumni sacro perfusa fluento
 Victima, sollemnésque epulæ, ludique viarum
 Pulcra mihi referant Latij spectacula fastus.
 Omnia jam majora: Deus, Deus ipse beatis
 Delapsus Divorum adytis, quem mille phalanges
 Aligerae circum volitant, huic pompa triumpho
 Per se magna fat est. Idem quoque victima tēplis,
 Idem epulū, idē operū monumentū insigne suorū.
 Quin etiam Rex ipse suam (mirabile dictu)
 Captivus pompani sequitur, sensusque revinctos
 Ponē trahit, cogitque sequi, Numenque fateri
 Quod tenui frugum genitrix sub imagine celat.

Ut ventū ad sedes, quantusque & qualis ab aulâ
 Sidereâ excipitur, tantus talisque receptus
 Æde sacrâ est, nisi quod lateat, fugiatque videri;
 Principiò ante aras defixa horrore Philippus
 Ora tener, sanctumque, & inobservabile Numen
 Poplitibus flexis, & corpore pronus adorat.
 Verbâque quærenti patrium testantia cultum
 Deficiunt. Tandem ut sacrum eluctata pavorem
 Vocis iter vicit pietas, ac desuper ipse
 Extimulat Deus, atque imo se pectore versat,
 Continuò: Salve ô magnum & venerabile terris
 Numen, ait: salve gentis fiducia nostræ,
 Rex Superum, rex idem hominū, & pallétis Averni.
 Dexter ades, propiusque tuos agnosce penates.
 A te principium regni: tibi debita sceptræ,
 Austriadumque aquilæ, tot euntibus ordine longo
 Cæsaribus: per te (neque me sperasse pigebit)
 Æternum ventura trahent in sœcula nomen.
 Intercà dum tantus amor tibi, curaque nostri est,
 Hospitio ut jungi cupias, simul has quoque mecum
 Divide terrarum curas, regnique vocari
 Tutor, & esse velis. Non belli præmia quæro,

Nec

HEROICORUM LIB. I. 9

Nec super his moveor. Vincat, quos vincere rebus
 Christiadum proficit, quorum felicibus armis
 Victa supersticio terris excedat, & aris (horat
 Priscus honos redeat. Quas nunc quantum ipse la-
 Disturbare Acheron, tanto me impensis aquum est
 Protegere, atque omnes sacrorum avertere pestes.
 Bellorum haec meta est: haec quo me cunque voca-
 Voti summa mei fuerit, tot provida rerum [rint,
 Pectora, tot fortis animas, dextramque meam me
 (Sive fide, seu quis bello experiatur) honori
 Devovisse tuo. Tu mentem hanc numine firmia.
 Talibus orantem dictis pulcherrima proles,
 Os animosque patri similis (quam si modò regnis
 Admirant patriis, quamquā ô! nil laetius umquam
 Contulerint terris Superi) prostrata sub aras.
 Audiit, & : Sequimur, dixit, tua vota precantes
 O genitor. Tantus succedens sedibus hospes
 Hunc, reor, hunc latum nobis, totique secundum
 Imperio volet esse diem; nostrisque minores
 Olim hujus (neque vana fides) meminisse juvabit.
 Dixerat: expleri nequeunt gnatique patrisque
 Vocibus intenti Heroes, quos Martia virtus,
 Et regum favor illustri dignatus honore est.

At tu, dum rerum auctorem, cui subdita parent
 Imperia, astrorumque orbes, totumque quod usquā
 Regales intra sedes & limina cernis, [est,
 Inlyte Rex, belli molem tam grandibus urge
 Auspiciis. Cedent, aut non cessisse pigebit
 Hostiles acies. Quod enim contendat Iberi
 Viribus imperium, sua si modò robora norit,
 Castigatique moras? Tibi vinctus subdidit Afri
 Litora: te metuit Ganges: tibi turbidus Indus
 Volvit opes: uni Americe tibi viscera pandit
 Feta auro. Quocumque diem sol orbe reducat,
 Fessus obit tua regna: tuo se se aureus effert
 Oceano, conditque tuo. Tantum arma capie:

Dumque alij nova bella movet, infestaque jungunt
 Fœdera, sive illos regnandi insana libido,
 Et sceleri speratus honor, seu Numinis aras
 Exosæ instigant furiæ, sine præmia cuique
 Sint sua : tu laudes & fortia facta tuorum
 Exsuperas, cælumque animo complexus & orbem,
 Romanâ populos sub religione tueror.

Hic tibi sit proprius belli labor, hæc tua palma.
 Austriacos huc verte animos, totumque Gradivum.
 Si dubiis virtus numquam non altior exstat
 Casibus, ac justam sequitur Victoria causam,
 Armis, ut causâ, vinces, atque aurea condes
 Sæcula, & æterno compones fœdere terras.

LEOPOLDO GUILIELMO, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, Belgij pro Rege Catholico Gubernatori.

*Cum expugnatâ Dunkercâ Flandriam ab
 armis Gallicis liberasset, anno 1652.
 victoriis in Hispaniâ, Italiâ, Galliâ
 reportatis memorabili.*

E P I N I C I O N .

VIcimus ! asseruit sese, rupitque catenas
 Flandria. Nec vobis ultrâ, spem ponite, Galli,
 Serviet. Indignâ tenuistis compede vincitam :
 Indignâ vincitam Leopoldus compede solvit.
 Qualis ubi Andromedâ Perseus materna luentem
 Crimina, & ad duras religatam in litore cautes
 Aspexit miserans, clypeo confisus & ense :
 Pone metum, virgo : non es sine vindice, dixit.
 Nec mora : congregatur, monstrique per ilia ferru
 Exigit. Illa feræ, mortique expta, catenis

HEROICORUM LIB. I. II

Solvitur, & dominum servatorēmque salutat,
Nec capit admirans sua gaudia. Persea **Cepheus**,
Persea Cassiope, victorem Persea **virgo**
Libera conclamat: responsant Persea **ruperes**.
Haud aliter bello felix, crebérque triumphis
Austriades Morino captivam in litore Nym-
pham,

Lumina, quod poterat, longo liventia fletu
Tollentem cælo, jámque ultima pñè ferentem,
Et, Leopolde veni, clamantem, & multa voventem
Servitio, & vinclis, luctuque exemit acerbo.
Ardua res, quæque Atridas, pugnæque scientes
Posceret **Aeacidas**, totidémque quot Ilion annos.
Tot rumpendi aditus. 1 Non urbs, caperetur ut
una,

Una fuit capienda. Moras h̄ic altera 2 Chryse,
Altera 3 Lyrnessos magno repetenda labore
Fecerat: an frugum pecorūmque feracibus arvis
Ditior, incertum est, an belli tutior arte.

H̄ic quoque 4 Cilla fuit vix expugnabilis armis,
Expugnanda tamen, quam Nercus æquore pulsat,
Cui fossæ triples, & propugnacula circum
Grandia, firma situ, positoris habentia nomen
Quæque sui. Magnus sic illam jusserat olim
Muniri Cæsar: nunc fera hostilibus armis
Frenabat latè Morinos, bellisque premebat.

A 6

1 Dunkeram undique inaccessam reddebant Fur-
na, VVinciberga, Gravelinga, à Gallis captæ
incessaque oppida: qua appellare placuit no-
minibus urbium ad Troiam sitarum, & prius
etiam expugnandarum.

2 VVinciberga.

3 Furna.

4 Gravelinga: à Carolo V. Imp. munita castro &
propugnaculis, quorum singulis nomen dede-
runt Ordines Flandriae.

5 Stabat & æquoreo munita in litore moles
 Ingenio defensa loci : sinus æquoris altus
 Curvato flexu prælabitur : Iccius olim ,
 Ut perhibent, portus, tutum navale carinis
 Objectu bimaris dorsi & flaventis arenæ.
 Hinc arx alta, ingens, vastum procurrit in æquor.
 Mille trabes illam solido de robore , mille
 Ferrati firmant vectes, unam omnia contra
 Vela Batavorum quondam , dum litora nostra
 Nequidquam armatæ classis cinxere coronâ :
 Unam omnes contra furias cælique, matisque.
 Heu quas illa vices belli , quæ funera vidit
 Externis quassata armis ! Bis Gallica sensit
 Signa : bis hostili sudavit sanguine litus.
 Narrastis cæforum animæ pallentibus umbris ,
 6 Camosij Termique umbris, quo sanguine rursum
 Litoreæ cumulus steterit non magnus arenæ.
 Tantum non subito rapuerunt vortice flammæ
 7 Borbonidem, dum, quæ nostris acerrimus instat,
 Hique fugam simulant, sparsò de pulvere torrens
 Igneus erupit campo, incautéque sequentis
 Fulmineo ambustum fœdavit turbin: corpus.
 8 Quid validas hinc a que illinc coëuntibus arcet

Am

5 Mardicæ , bis à Gallis cruentâ suorum clade
 capta , bis iisdem erepta .

6 Camosius anno 1583. ab Alenconio impositus
 Dunkerca Gubernator , ab Alexandro Farnesio ob-
 sessus , ipse militesque gladiis tantummodo accin-
 ñi sine signis ac suppellectile urbe emissi sunt.
 Terminus Gallicorum castrorum Praefectus ad Gra-
 velingam à Comite Egmondano casus anno
 1558.

7 Princeps Condæns ad Mardicam ambustus in-
 censo nitrato pulvere .

8 Linca propugnaculum ad Alpham & Colmam
 fluvios suum .

Amnibus impositas memorem, pelagiq; sonantis
 Laxatos obices, portarum immania claustra,
 Immissumq; fretum terris, & exhaustaq; quondam,
 Nunc iterum fluctu surgentia stagna marino.
 Quam mare, quā fluvii, quam tot castella, tot urbes
 Munierant, urbem vinci quis posse putaret?
 Si tibi ducitorum primi, Leopolde, tuorum
 Curarum saltem potuissent demere partem,
 Munera fortiri pariter, bellique laborem.
 Nunc tuus 10 Æacides letō jacet. Hei mihi, quātus
 Consilio, quantūsque manu, sive ardua muris
 Oppida bellator quateret, seu tempora tecum
 Eligeret pugnæ! Non te, fortissime duxit,
 Oblessem ante urbem Morinis occubere campis.
 Vidimus indecōrem. Media inter fulmina belli,
 Et Martis tonitus fatali vulnere terram
 Planxisti moriens. At non sine nomine letum
 Per Belgas fuit. Inferias magnūmque tropæum
 Urbs tibi capta tulit. Castris exercita Virtus,
 Et Labor, & magnis instans Prudentia rebus,
 Assiduae nuper comites tibi, vulnera dulci
 Lavere ambrosiâ, & funus luxere cruentum.

11 Te quoque quæ patriæ fata importuna, Briasi,
 Eripueret, tuis etiam pars altera belli
 Sustentanda humeris fuerat. Tu castra regebas
 Imperio: te plenum animi, te signa rnoventem
 Ardebat per apertæ sequi discrimina miles,

Plenus

9 Moura lacus ab æstu maris natus, septem mil-
 liaria Belgica ambitu complexus, non ita pridem
 magno fuerat molimine exhaustus, ac frugum
 ferax.

10 Marchio Sfrondrati tormentorum Prefectus ad
 Gravelingam tormenti globo ictus occubuerat.

11 Marchio Molenghien, generalis castrorum Magi-
 ster, antequam castra ad Dunkercam ponerentur,
 obierat.

Plenus & ipse tui ; nunc cassum lumine mœstis
Prosequitur lacrymis , votoque requirit inani.
Quod si mors tantis fuerat ductoribus atras
Injectura manus , num parva incommoda nostris
Intulerat rebus ? Quid adhuc cumulatis acerbo
Mœrorem casu Superi, 12 armorumq; magistrum,
Ægrum, languentem, mediis excedere castris
Cogitis , & magnis invitum absistere cœptis ?
Heu fragiles hominum vires ! ut tristia lassis
Transversa incurruunt ! vos illum reddite castris
Incolumem medici, atq; ad fortia mittite fortem.
Austriades fert unus onus. Quæ pectora tantas,
Et tot sustineant curas ? sint ferrea quamvis,
Deficiant. Fessis demit juga bobus arator :
Bellatoris equi vires animosque perennis
Infringit labor , effusisque in pulvere cursus.
Cælicolæ magni , si vobis Belgica curæ eit,
Si tantum sese , pugnare coacta , tuetur ,
Nec quidquam nisi pacem armis & fœdera poscit,
Nec , contenta suo , spes ultrâ tendit avaras ,
Hoc saltem caput afflictis succurrere terris
Ne prohibete. Satis nostras bacchatus in urbes
Sæviit armipotens, ferro violentus & igni.
Addite bellanti vires. Spes omnis in uno :
Unum dividitur per mille negotia pectus.
Sæpè illum somni immemorem, expertemq; quietis
Lucifer invenit stantem , certosque viarum
Desribentem aditus : sæpè illum invenit eumdem
Hesperus. Instabant operi fortissima bello.
Pectora : sudantes animis audentibus implet
Laudator testisque operum: nec vulnera quisquam
Ad sua, dum laudum fervent certamina , pallet.
Quid ? quod muneribus blandisque hortatibus
urget ,

12 Comes Fuensaldaña armorum supremus Guber-
nator propter invaleitudinem ob fidicene Dunkercar-
væ aberat.

Extremam hanc operam impendant patriæque, si-
bique.

Exitus accessit verbis. Ille impiger hostis,
Ille acer, flectique negans, terraque marisque
Visus inaccessus pridem sibi, victus & exspes
Victoris leges patitur, frendensque recedit.
It totis clamor castris, lituique, tubaeque,
Cornuaque, & cantus, partæ felicia palmæ
Argumenta sonant: fremitu, plausuque resultant
Litorei colles. Niveis Victoria pennis
Castra super volitat, congestoque aggere sidens
Excitat admoto vivaces fomite flammas.
Æra tonant, lætisque implent mugitibus auras.
Ante alios glauco insignis Portunus amictu
Exultat, medio spectans è gurgite puppes,
Libera jam tutis subeuntes ostia velis.

Antennis malisque nitent fluitantia vento
Picta aplustra Cruces, Burgundæ insignia gentis.
Ipse triumphali perlabitur æquora curru
Neptunus pater, ipse manu molitus habenas
Instat equis, illi patulis mare naribus efflant,
Prætereuntque leves pedibus properantibus Euros.
Neptunum antevolat nativo murice tectus
Canentes Triton humeros, vicinaque circum
Litora dum latè conspirant cornua cantu,
Æmulus inflatâ respondet ab æquore conchâ;
Doridaque, & natas humentibus evocat antris.
Agglomerant sese lateri Xanthoque, Rhoëque,
Queis teretes geminâ pendent ex aure lapilli,
Et Panope, Panopésque soror, redimitaque conchis
Pectora tortilibus, queis debet nomina, Cochlis,
Et flavos nodata auro Galatea capillos;
Cymodocéque, Hyaléque, & quas mihi dicere
non est.

Musco omnes, Tyriis velata vestibus omnes,
Omnes cyaneis evinctæ tempora vittis.

Téque

Téq; canunt, Leopolde : tibi per cærula plaudunt,
 Quódque priús tristes doluere inimica coactum
 Vela pati , lātis exercent lūsibus æquor,
 Inque ehorū speciem nunc hos in fluctibus orbes,
 Nunc illos explent , aliósque aliósque retexunt.
 Pars tibi coralii, pars lectis æquore conchis
 Serra parant : pars è gemmis tua nomina texunt.
 Omnibus est lāto victor Leopoldus in ore.
 Quarum quæ medio fertur pulcerrima cœtu
 Flandrias 13 Actiophane, albenti in veste refulgens
 Detersis lacrymis, versoque in gaudia luctu,
 Altior emergit , placidisque è fluctibus extans
 Sic canit : attentas tenuerunt carmina Nymphas.
 Nec strati maris unda, nec obstrepit aura canenti.

Macte tuis, Leopolde, animis, armisq; secundis.
 Antè nec alterni nostris in fluctibus æstus ,
 Nec pelago pisces , nec erunt in litore conchæ :
 Antè suos repetent fontes quæ flumina nostris
 Se miscent undis ; próque undis arva carinæ,
 Próque arvis undas curvum fulcabit aratrum,
 Quam nobis desint laudum argumenta tuarum.
 Non ego lāta tui repetam primordia Martis,
 Queis Libertatem redeuntem , & grandia Pacis
 Anguria , & se se redi sibi Belgica vidit.
 Omnia jam celebrata. Quis Armenteria forti
 Mœnia capta manu, quis 14 inexsuperabile vallum
 Hannoniæ cessisse tuis non prædicat armis ?
 Magna, sed antiqua est gaudendi causa receptus
 15 Liza pater , libérque metu te vindice Scaldis.

16 Et
 13 Dunkerca , si vocem Flandricam Latinè inter-
 preteris , Litorale templum significat : unde no-
 men huic Nympha è Graco.

14 Landracum.

15 Cortracum , alieque urbes & arces Liza im-
 posita.

HEROICORUM LIB. I. 17

16 Et Cameracenæ , quas Gallus cœixerat , arces ,
 Marte tuo & magnæ servatæ munere Divæ ,
 Praeconem reperere . Data est quoq; vatibus ingens
 Materies , cùm te victorem sensit apertis
 Gallia limitibus . 17 Transmissum in sœcula rarae
 Exemplum fidei legitur , sempérque legetur
 Unum militibus vulnus fatale duobus ,
 Unus funeribus , quæ nec post fata revelli
 Passa tua est pietas , tumulus titulisque duobus .
 Extollant alii dejectos sedibus hostes ,
 Et captos 18 Scaldis fontes , tēq; 19 Axona victis
 Merentem ripis , injectaque vincula 20 Mosæ ,
 Tēque tui magnâ domitam Campania parte .
 Nos propiora vocant : nos unâ sospes in urbe
 Flandria , nos vincis Neptunus liber ademtis .
 Hæc , hæc præteritas cumulat victoria lauros .
 Terra parum fuerat : terræ nunc adjicis æquor .
 Magna quidem terrâ fuerat viciisse voluptas ,
 Sed non plena tamen . Quæ spes & vota gementis
 Expleret patriæ , palmisque ornaret adeptas ,
 Integra libertas deerat . Tot valla , tot urbes ,
 Assertique amnes tantum sperare jubebant ,
 Quà post imbriferas Hyadas , noctésq; profundas
 Nunc fruimur , lucem . Roseis sic vecta quadrigis
 Purpureas cùm manè fôres Aurora recludit ,
 Panlatim tenebris nox evanescere victis

Inci-

16 Otho Zylius è Societate Iesu Cameracum obsidio-
 ne liberatum edito poëmate celebravit .

17 Sidronius Hasschius ex eadem Societate elegias
 edidit in mortem duorum commilitonum , quorum
 alter b stili telo , alter amore in commilitonis casu
 complixu ad Capellam oscubuit .

18 Castelatum ad Scaldis caput situm :

19 Ad Axnam fanum S. Meneholdi , Rhetelia ,
 Castrum in Porceanò ;

20 Mousonium ad Mosam .

Incipit: albescit cælum: lætissima rerum
 Lux subit, & totum spondet prænuntia solem.
 Nunc ô, nunc mecum longo vos solvite luctu
 Nereides: mecum plausas iterate per undas
 Carmina, victoris magnum attollentia nomen;
 Carmina, quæ longè fluctus: & litora longè
 Ingeminent. Pleno fruimur post nubila sole.
 Mirabar, 21 cur in sicco, velut antè, sinistræ
 Non gernerent mœstum fulicæ, pluviásq; vocaré,
 Nec ferrent queruli clamorem ad litora mergi.
 Candida lux aderat, quâ tandem Flandria durum
 Excuteret cervice jugum, gaudensque videret
 Æquora restitui nautis, cultoribus agros.
 Ipsi te portus, ipsa hæc, Leopolde, vocabant
 Litora. Dùmque tuis spes tantas provehis armis,
 Cælum in parte fuit. Soles fulsere sereni:
 Fluctibus & ventis furor abfuit: æquore classis
 Tuta stetit: nihil hostiles armisque virisque
 Effecere rates, commisso Marte repulsæ.
 Expugnata tuis urbs altera & altera signis.
 Omnia successere. Patet mare: carbasa nautæ
 Pandite: vietricem malis inducite laurum.
 Redditus est yobis per apertum transitus æquor.
 Virtutis vestræ memores veterumque malorum,
 Desuetas aptate rates, pelagóque volate
 Martia gens, pelago ante alios pugnare periti.
 Ite viri, date vela, & libertatis ademtæ
 Ultores adferte animos, terraque fugatos
 Debellate mari, legésque imponite victis.
 Terrarum imperium firmat mare. Victor in illo
 Cetera securus tener, invictusque tenebit.
 At vos, nunc quoniam tutum est piscatibus æquor,
 Tendite, ut antè, plagas pueri, demittite nassas,

Et

21 Obsidiones expugnatarum prius urbium incredibilis laboris fecerat cælum pluviis assiduis infestum.

Et solito pelagi tractu pendentibus hamis
 Fallite, & æquoreas ad litora vertite prædas.
 Et quoties parvis tentabitis æqua lumbis,
 Dicite: (sic semper vobis sit piscis in undâ
 Credulus) Austriades nobis hæc otia fecit.
 Ast ego pro meritis quas grates solvere tantis
 Sufficiam, Leopolde? Tibi, siquid tamen illud
 Siquid habet pretii, nostra hæc ad litora ponam
 Sollemnes aras, magni monumenta laboris.
 Quales trans Indum Macedo dum fulminat armis,
 Ipse sibi posuit victor, propriâsque dicavit,
 Nominis & famæ ventura in sæcula testes.
 Adjiciam titulum, quem, seu navalibus altis
 Herculeæ Calpes, seu litore solverit Indo,
 Navita præteriens legat, externâsque per oras
 Deferat: HAS PULSIS LEOPOLDO FLANDRIA
 GALLIS.

Dixerat: arrestæ simul assensere sorores,
 Térque salutarunt submissâ fronte potentem
 Victoris Genium: ter signa dedere triumphi,
 Æquora plaudentes manibus, lætumq; canentes:
 Ter capiti infusos irroravere liquores.

Interea latè tantarum nuntia rerum
 Fama volat, lætisque implet rumoribus urbes.
 Applaudit longè Germania, Rhenus & Albis
 Suspensi excipiunt Famæ præconia fluctu.
 Effusus procil Hercyniis è saltibus Iter,
 Præcipue, quâ Cæsaream prælabitur urbem,
 Vorticibus volvit solito majoribus undas,
 Lætitiaque tumet, magnoque assurgit alumno.
 Hic Cæsar pacis studiis intentus, & alto
 Consilio instaurans quidquid grassata tot annos
 Imperio in magno tristis labefecit Enyo,
 Exilit, ut tanti perlata est fama triumphi,
 Et tamquam proprio, fratriis lætatur honore.
 Quippe volutabat secum, in quæ tempora virtus.

Illius

Illiūs inciderit : Belgarum quanta per urbes
Tempestas bellorum ierit : quos antē dolores,
Et rērum casus tulerint : quām certa labanti
Spes patriæ , & facies melior cum fratre rediret.

Ut verò rapidis Pyrenen transit alis,
Laurentésque super velox D: a constitit arces ,
Regis opus , magnā in tabulā sua regna Philippus
Fortè recensebat lustrans , arcésque , locósque ,
Litoráque , & tumidis inseffas hostibus urbes.
Versabat secum tacitus , quibus artibus illas
Affereret vindex , longāque in pace foveret.
Ergò ubi tam felix demulxit nuntius aures ,
Ad Superos gratus palmas utrásque terendit ,
Agnovítque Dei munus. Tum fronte serenâ
Cognato Austriadæ partum gratatus honorem :
Victor io , dixit : virtus tua spem quoque vicit
Belgarūmque , meāmque. Tibi se Flandrica debent
Litora. Quòd pateant securis libera nautis
Æquora , quòd securus aret sua rura colonus ,
Quòd versis secum lugetur Gallia fatis , (ces
Munus opūsq; tuum est. Tu Gallum , invicte , coér-
Limitibus pulsum Morinis : tu Marte sinistro
Divulso Belgas iterum conjungis Iberis.
Hanc equidem dextro nobis à Numine mentem
Injectam reor , ut per etem pro munere magno
Jam propè depositis velles succurrere rebus.
Quām tibi nos , & funestis exercita bellis
Flandria materiam dedimus , virtutibus imples ,
Præmia pro meritis Divi pulcerima primū
Invictique dabunt animi , queis Belgica stat res .
Ipse ego tum fidei tantæ non immemo: umquam ,
Et domus Austriadū meritos solveimus honores.
Téque reponentem nostros in pristina Belgas
Præsidium dicam rerum columénque mearum.
Tu modò te nobis , ut servas cetera , serves.
Quos ego te casus , quæ re discrimina passum

Accipio! sèpè insonuit tibi tempora circum
Ferrea tempestas telorum, & casside cristas
Abstulit. Ah nequid virtus interrita peccet!
Horret adhuc meminisse animus: tormenta vomebant

E muris ferrum, & flamas: tu pectore stabas
Intrepido, pugnæ intentus. Comitum unus & alter
Ad latus hinc atque hinc tormento abreptus aheno est,

Quóque loco steteras, ipsi cecidere, suóque
Pænè tuos laceri sparserunt sanguine vultus.
Ne, frater, ne tecum urbes, patriamque receptam,
Spesque meas de te miserandâ involve ruinâ.
Quolibet hæc esset major jaætura triumpho,
Talia Rex secum media inter gaudia volvit,
Multùm sollicitus, ne quæ solatia Belgis
Continuat viætor, bellandi gloria, & ingens
Vincendi studium luctu corrumpat amaro.

Quis mihi nunc fando referat, qui plausus Iberis
Et fremitus castris ierit, cùm didita latè
Fama refert Morini purgatam litoris oram?
Reddita libertas populis, exempta catenis
Flandria, securum pelagus, Leopoldus, in ipsis
Omnia sunt oculis. Passim tentoria circum
Martius audiri clamor, lituisque tubarum
Permisti sonitus, atque æra sonantia flammis.
Claußerat obfessos veloque & remige portus
Regius Austriades 22 sanguis: Mortara rebellem
Parte aliâ obsidione urbem valloque premebat.
Urbem, cui de se Massylus Barcino nomen
Conditor imposuit, generis tibi proximus auctor,
Annibal, & belli Libycas hortator ad aras.
Et nunc illa quidem triplici circumdata muro est.
Immanes circum turres, opera alta, minæque
Saxorum ingentes: cingunt latera ardua fossæ
Altæ,

22 *Iannes Austriacus.*

Altæ, præcipites, aditum sperare vetantes.
 Olim pensibus fuit & spectabilis horitis,
 Antiquam insano Babylonem imitata labore.
 Nunc operis tantum (quid non abolere vetustas
 Invidiosa vales?) fractæ monumenta columnæ.
 Quà Libycum tumido pulsat mare litora fluctu,
 Efficit interior portum sinus invius Euro
 Et Boreæ, fessis statio secura carinis
 Jámque recrœcebant bis septima cornua Lunæ,
 Et tolerabat adhuc diuturni tædia Martis,
 Fortunæque vices varias, morbosque, famémque.
 Nec minus obfessos urgens, patiensque laborum
 Obdurabat Iber, omnique ex parte premebat
 Ultima passuros. Sed enim quod Flandria victrix.
 Quódque dabant urbes Leopoldi Marte receptæ
 Augurium castra accipiunt, similémque refectis
 Præsumunt successum animis, ac talia mussant:
 Pænè simul visa est, obfessaque, captaque bello
 Urbs aliis, posituque loci defensa, manuque,
 Objectuque maris: spatiū nos longius anno,
 Et pendentis adhuc belli fortuna fatiget?
 Talibus incensi potiundæ protinus urbis
 Vota fovent alacres: nec spem præfigia fallunt.
 Vincit Iber. Tantum bello valet æmula virtus.
 O, cui tot cumulat lauros Deus, Optime Regum,
 Excipe pacato redeentes excipe vultu,
 Armâque damnantes populos, quibus utile fecit
 Sanguinis Austriaci virtus clementia vinci.
 Hoc facis: hæc partâ de te victoria major.
 Ut rex, sic pater es. Nec te moderatior alter
 Aut premit, aut regni faciles admittit habenas.
 Parcere subjectis, irâque remittere, moris,
 Magne Philippe, tui est. Facti dum pœnitent illos,
 Pœnarum sat habes. Ipsi sibi pœna fuerunt,
 Plurâque sunt passi, quam quæ potuere timeri.
 Te quoque, quem nostris Mavors exercuit oris,
 Nunc

Nunc Insubria miratur , mirantur & Alpes,
 Eridanūsque pater victoria signa gerentem ,
 Gentis honor , Caracena, tuæ , cui fama perennis
 Contigit Ausonio depulsis limite Gallis ,

Te quoque credibile est Leopoldi Marte secundo
 Incaluisse animis non inferiora sequentem.

Alternos toties dominos sortita Casale ,
 Fax bellī , claustra Italiæ , celeberrima Martis
 Area , quæ toties spumantem sanguine vidi
 Eridanum , expugnata tibi (quæ gloria ?) cessit .
 Cessit , & , ut Magno fatis est viceisse Philippo ,
 Reddita Minciadæ domino , nova bella diremit .

Talia dum passim Europæ diffusa per oras
 Fama canit , non te 23 tacitum indictumque re-
 linquit [nomen

Magne Heros , magnum cui Schvartzenbergia
 Gens tribuit, majus virtus tua. Nämque canebat ,
 Ut te tantorum comitem sociumque laborum
 Sumserit Austriades : ut promptis utilis illi
 Consiliis fueris , qualis , dum Marte bilustri
 Pergama victa cadunt , Pelidæ Nestor Achilli ;
 Aut Anchissiadæ , dum raptum ex ignibus ignem ,
 Et Trojana infert Latio sacra , fidus Achates .
 Hinc vigiles curis noctes , lustratique valla ,
 Præscriptosque refert aditus , hostemque repulsum .
 His addit telorum inter bellique fragores
 Impavidum , & pulcro sordentem pulvere vultum .
 Scilicet accendunt veterum decora alta 24 pa-
 rentum ,

Cæsa

23 Ioannes Adolphus , Comes Schvartzenbergæ ,
 Eques Aurei Velleris , Regi Catholico à Consi-
 liis bellicis , Leopoldo Archiduci primarius cubi-
 culi Praefectus .

24 Quæ à Schvartzbergiis præclarè gesta sunt ,
 paulò uberior exponuntur in Genethliaco , quod
 Heroicorum libro 2. legitur .

Cæsar is auspici s acies in prælia ductæ,
 Defensusque Amasis , ripâque assertus utrâque
 Rhenus, & Alsatiis detracta rebellibus arma :
 Quintini ad fanum pugnæ , proavique cruce
 Consignata fides , Prudenti nota Philippo.
 Præcipue ante oculos Javarini claustra revulsa ,
 Feta viris , Istri timor , & fiducia Thracum ,
 Æternum virtutis avo debentia nomen.
 Heu ! non ille , 25 suis effusum sedibus hostem
 Dum reprimit , partesque animum dum versat in
 omnes ,
 Telâque nulla cavet , Pappæ sub mœnibus altis
 Debuit oppetere. O domitor fortissime gentis
 Odrysiae , non te totum ferus abstulit hostis.
 Non tua, quo corpus tumulo, jacet obruta virtus
 Funeris atque ævi viætrix. Te Rhenus , & Ister ,
 Te domus Austriadum celebrat. Te fama superste
 Inferit Heroum ordinibus, cælög; reponit: [ph]is
 Quamquam Pannoniis mors hæc inimica trium
 Nec matura fuit. Vedit miserabile funus
 Cæsar, & illacrymans : Quantum Germania, perdi
 Præsidium ! quanto solvunt hæc funera , dixit ,
 Thraca metu ! Mœsta pheretro subiere phalanges
 Et versis luxere hastis , gemitumque dedere.
 Heu ! ne te , generis tanti dignissime sanguis ,
 Sors eadem invideat nobis. Ne fortior æquo
 Esse velis , bellique omnes contempnere casus.
 Pignerat ante diem dubia inter prælia Mavors
 Fortia prima ferè sibi pectora. Solvite Belgæ ,
 Servati Belgæ pro fôspite solvite vota ,
 Qualia 26 pro salvo persolvit vota parente

(Toni)

- 25 Adolphus Schuwartzenbergius , is qui Iuvani
 num Turcis eripuit , ad Pappam eocubuit .
 26 Pro Adamo Schuwartzenbergio , Ioannis Adol
 phi parente , agro votum fecit & solvit Fernan
 dus II. C&f. Aug.

(Tanti erat hunc superesse) ad magnæ altaria
Divæ

Fernandus Cæsar. Fieri sibi talia mandat
Multæ viri virtus , & tot spectata periclis.

At tu , cui Nereus , & Iberus turbidus auro ,
Et Rhenus , clarusque tuis natalibus Ister,
Et pater Eridanus pariter plaudentibus undis
Assurgunt , etiam plausu , Leopolde , tuorum
Perfruere , & patriæ tibi se debentis amore.
Non tantum cessere tuo fortissima Marti
Mœnia : vicisti & pelago , pars unde pericli
Major erat. Suprema tuis spes , Gallia , febus,
Missa mari classis , quamquam validissima , quam-
quam

Tormentis numerōq; virūm metuenda, repulsa est.
Victori pars præda fuit : pars fluctibus hausta est.
Paucæ nil ultrâ audentes , viætæque pavore
Alta petunt vento , conversaque vela reflectunt,
Qua fuga cumq; patet , pelagōq; feruntur aperto.
Te , quā longa fuit , 27 Ledee , exercuit æstas
Classe coronantem portus & litoris oras.

At non discordes venti , rapidæque procellæ
Quassavere rates : favit tibi candidus æther ,
Et placidum Nereus stravit mare. Tu vigil hostem
Nequidquam sperantem aditus , classiq: minantem
Accessu prohibes : tu victor in æquore peritas,
Dum terrâ pugnant alii. Date ferta carinis
Victores nautæ , bellique insigne superbum
Ductoris capiti navalem ferte coronam.

Hoc , reor , hoc Flandri Proceres portendere visi,
Cùm , Leopolde , tuos 28 navalis imagine pugnæ

B

27 Marchio de Lede rei maritima Praefectus.

28 Flandria Ordines , captâ Gravelingâ , navibus
illis , quibus tempore obsidionis mare clauerant ,
navalis pugna specimen Leopoldo ex litore spe-
ctanti præbuit.



Detinuere oculos, & signa dedere futuri.

Urbs est Albionem contra, Tamesinaque longe
 Ostia prærupto circùm cendentia saxo,
 Dives opum quondam, & latè celeberrima port.
 Nunc belli tantum sedes, pars ultima Flandri
 Litoris: indigenæ Gravelingam nomine dicunt
 Austriades illâ victum dejecerat hostem,
 Tantum animis ausus, quantum turbata timebat
 Gallia, dum vires discors in viscera vertit.
 Et jam stabat adhuc vicino in gurgite classis,
 Hostilis mora subsidii, si forte per undas
 Vi quæsisset iter, dum terrâ Mars quoque nos
 Excubat, & validis muros circumsonat armis.
 Utque ea jam vietâ communia proderet urbe
 Gaudia, & augurium successus deinde fecuti,
 Navalis belli speciem, simulatique veris
 Prælia concurrens mediis effinxit in undis.
 Ergò hinc atq; illinc numeróque & viribus æquis
 Consistunt pelago puppes. Utrimque juventus
 Intenta expectat signum: par omnibus ardor
 Irruere, & tamenquam vero concurrere bello.
 Inde ubi consonuere tubæ, mora nulla, carinæ
 Äquora corripiunt celeres: ferit æthera clamo
 Nauticus: impulsis spumant freta fervida rostris
 Ut proprius ventum est, tormenta obversa proco
 Fulmineam effudere: tonat cælum omne tumulis
 Äthera prætexit densâ caligine nubes,
 Turbinibus fumans piceis atrisque vapore.
 Utque solent, cum vera rates certamina miscent
 Illidi proræ proris, uncisque teneri,
 Implectique sibi, morsuque hæcere tenaci.
 Hostilem in puppim pars saltu corpora librat,
 Invaditq; foros: pars transtiris submovet hostem
 Itaque aditu obsistit. Geminant discrimina vires
 Nulla fuga est: repetunt pulsi pugnâaque,
 cùmque,

Exacuitque animos violentior ultima virtus.
 Nec victor cessat prius oppugnare carinam,
 Quam veluti captæ muros descendat in urbis,
 Signaque iu hostili figat victricia vallo.
 Hi captas naves ; illi , nisi protinus adsint,
 Jungendas captis hosti extorquere laborant.
 Inflectunt alii cursum , spatiūmque remensi
 Acrius incumbunt , tormentaque rursus in istum
 Disposita exonerant , renovatique prælia miscent.
 Vi totâ obnixæ pugnant , alternaque partes
 Damna ferunt faciuntque. Diu victoria nutans
 Fluctuat , ancipiit quod vergat nescia casu.
 Haud aliter belli classes simulacula ciebant.
 Prælia vera putas , nisi quod tormenta revulsas
 Non frangant laterum tabulas , neque lubrica
 fœdet

Transtra cruor. Nusquam laceris carchesia malis
 Scissaque vela natant , alto ludibria ponto.
 Nullæ vulneribus victæ pelagoque carinæ
 Submittunt latus , & ruptâ compage dehiscunt.
 Nusquam fulmineo incensas (miserabile visu)
 Pulvere dissultare , rapique per aëra puppes,
 Nusquam semineces videas in gurgite nantes.
 Sic , ubi pugnatum est , tibi stanti in litore vela
 Submittunt , Leopolde : tibi simul intonat ingens
 Æris displosi fragor , & diverberat auras,
 Et quæ jam belli fuerant , sunt signa triumphi.
 Illo dum per te fruimur , quæ publica vota,
 Quem procerum de te sensum , quæ gaudia vulgi
 Esse putas ? felicem annum , felicia dicunt
 Tempora , quæ primùm patriis tua nomina fastis
 Adventūmque tuum , pugnatique bella sacrarunt ;
 Se quoque felices. Propè conclamata redire
 Tecum visa salus : tecum pax optima rerum,
 Et nimium longo Libertas obruta bello
 Omina lœta sui populo portendit ovanti.

Nequidquam Gallo sperata est Belgica tanto
 Sanguine : nequidquam captivo vincula Lizæ ,
 Et nostro injecta Oceano. Superatus, inultus
 Litoraque , flaviōsque , & quas infederat urbes
 Frustrà respiciens ingentibus excidit ausis.
 Sic olim dirum Latio & lacrymabile nomen
 Annibal , ignarus fati sortisque futuræ ,
 Italiam sibi post Alpes promisit apertas.
 Ibat , ut ex ipsis præceps ruit Alpibus amnis
 Hibernis auctus nivibus , silvāsque , gregēsque ,
 Et rapido abruptas contorquens vortice cautes.
 Quacumque infestas acies trahit, intremere omnis
 Ausonia : exscindi ferro delubra , domūsque :
 Immeritæ flagrare urbes , funūsque parari
 Imperio : audiri Medis Indisque ruinæ
 Hesperiæ fragor. Et potuit , si fata tulissent ,
 Roma capi, potuere capi Capitolia & aris
 Obrutus extingui Vestæ focus. Irrita vota
 In ventos abierte. Nihil tot cladibus actum est ,
 Seu cùm cæforum Padus & Ticinus acervis
 Congestisque obstruti armis , Latiane cruenti
 Strage laborarunt tardos evolvere fluctus :
 Seu cùm purpureis Thrasimenus inhorruit undis.
 Frustrà Romuleo sudarunt sanguine Cannæ .
 Direptas frustrà gazas , & equestribus aurum
 Detractum digitis , modiisque capacibus altè
 Admensum Tyrias dux misit Pœnus ad arces.
 Invidit rebus nimium fortuna secundis :
 Versa retro est. Bellorum eadem fortuna tuo-
 rum est
 Gallia. Scipiades patriæ tot vulnera passæ
 Alter adest , par virtute & felicibus ausis,
 Exuvias qui te nostris spoliisque tumentem
 Urbes ante tuas vetricibus exuit armis.
 Salve Heros ingens meritis , quem bella gerentem
 Divorum Favor antevenit , comitatur eum tem

Spes bona , perpetuis decorat Victoria palmis
Ponè sequens. Salve spes ô fidissima pacis ,
Belgarum communis amor , tutela labantis
Et columen patriæ. Felix , longumque superstes
Nos rege. Nec vigiles curæ , bellique labores
Infringant natas ad publica commoda vires.
Ipse Deus , qui res belli pacisque supremo
Temperat imperio , tua provehat arma , tuosque
De nostris , lætos quos per te ducimus , annis
Augeat , atque inter plaudentum vota senescas.



TUO PIGNORE SECURA ESTO
BRUGA.

CHRISTI CRUOR

ORBIS PRETIUM,

URBIS TUÆ TUTELA EST.

TU ILLUM SERVAS , ILLE TE.
HUNC HABES BELLI SACRI FRU-
CTUM ,

QUO ET VIDERI SOLYMA POSSIS.
NON SEPULCRI TANTUM FORMAM,

CUI DEUS ILLATUS FUIT.

SANGUINEM ETIAM
PRIUSQUAM SEPULCRO INFERRE-
TUR

ABSTERSUM POTES OSTENDERE ,

E CÆLO BASILIUS ,

IN TERRIS CAROLUS

CUSTODIENDUM ILLUM SUSCEPIT,
UTERQ; TANTI PIGNORIS CULTUM,

ET CUM EO

FELICITATEM AUCTURUS TUAM.

CAROLO
VANDEN BOSCH,
BRUGENSI EPISCOPO
INAUGURATO.

EST aliquid, si fama loco est, factisque su-
perstes [ipſi],
Durat honor, spectare locum. Quæ cernimus
Acrius irritant animos: seriisque, modisque,
Exitus & rerum, felix, funestus, in ipsis
Omnia sunt oculis, variante in pectore motus,
O Solyma! ô Divis olim gratissima sedes,
Sacerorum legumque parens, urbs æmula cælo,
Mortalique habitata Deo; nunc illius umbra,
Et tantum cinis, & nomen, quis me tibi terris
Ereptum patriis sistat, vestigia saltem,
Versaque lustrantem rerum monumenta tuarum!
Nec tamen inquiram veteris loca conscientia ritus,
Fœda situ, deserta, Titi graviusque Quiritum
Reliquias. Non me densis lustra horrida dumis,
Aut segetes, ubi templa opibus fulgentia & auro,
Atriaque, & solido steterunt ex ære columnæ,
Mirantem teneant: quamquam hic tot millia
quondam

Cæsa boum fusis sparsere cruoribus aras,
Et multâ nebulâ, & cæcâ caligine fumi
Involvère diem: quamquam hic manifesta favoris
Signa sui, illustrem radiis ardentibus ignem
Prorupit cælo Deus, &c, quæ maxima reges
Contulerant, missæ rapuerunt munera flammæ.
Hæc aliis: nobis placeant ante omnia montes,
Sacra montes, animas ubi victima nostras
Lustravit moriens, & venis omnibus imbrex

Sanguineum, & totum pariter diffudit amorem,
 Ipsa Deus, nostros artus indutus & ora.
 Hic ego sim, videamq; ubi vitam impenderit orbi
 Saucius, & patriæ medium se objecerit iræ
 Terram inter cælumque suum sublimis : ubi ara
 Infelix lignum steterit : quæ gleba cruentem
 Divinum biberit, sceleris placamina nostri.
 Hic ego suppliciter tristis, cultuque reorum
 Incedam lacrymans. Nunc terræ dulcia figam
 Oscula, nunc sacro conspergam pulv're crines.
 Hic, quæ pédentem, mediāq; in morte trementem
 Saxa Deum miserata, horrendo rupta fragore
 Diffiliere, meas referent pulsata querelas,
 Plangorésque meos. Tum me si spiritus, & vox
 Deficiat suprema, animam hanc effundere tantum
 Hic mihi contingat, tenuémque viator arenam,
 Divino quondam tepefactam sanguine arenam
 Frigenti injiciat, quām molliter ossa quiescant !
 Non ego Mausoli sumtus, non funeris aras
 Maluerim, molémque tui, Cleopatra, sepulcri.
 Ah ! cur hanc sortem nobis & tuta viarum,
 Carole, regnantū virtus & Martius ardor
 Invidet, & nondum his fulgent in montibus arma,
 Terribilésque Scythis, Flandrorum signa, Leones ?
 Infelix Europa, tuis quid viribus usa
 Te laceras, & quo vinci Sidona volentem,
 Quo Rhodon, & Cypron, Nilumq;, & litus Ioppes
 Debueras, illo invadis tua viscera ferro ?
 O furor ! ô magnis semper contraria cœptis
 Armorum rabies, & nostrâ Thracia tantum
 Seditione potens ! Nam cur non classibus æquor
 Sternimus, & nostris terremus Achaica velis
 Litora ? cur non te, Solyme, calcataque quondam
 Terra Deo, nunc Edono regnata tyranno,
 Servitio eripimus ? Quid adhuc prædonibus illis,
 Quos pateris, tantum de te licet ? Improba crescit

Suc

Successu feritas, animosque à crimine sumit,
 Fanda infanda audēs. Ne gens tibi barbara, & istis
 Fide animis : tibi nostra facit discordia vires,
 Bellorumque pias odium intractabile causas
 Et spes tam latae intercipit. O ubi regum
 Priscorumque ducum virtus, socialaque arma,
 Conjurata tuos, Solyme, perrumpere muros !
 O qui sopitos ignes, animosque jacentes
 Suscitet, & veterum succendat imagine rerum !
 Vivit adhuc, sacrique manet clarissima belli
 Gloria, cum Divis usus ventisque secundis
 Mars noster trans Ionum, trans ostia Nili
 Vela dedit victor. Vos aræ, augustaque testor
 Pignora, divino fusi de corpore rores
 Sanguinei, spolia ampla, Europæ robore toto
 Tras mare digna peti, templis decus addita nostris.
 O crux, æterni monumentum & pignus amoris,
 Spes hominum, vitæ præsens melioris origo !
 Tu facis, infando quamquam jactura dolori est,
 Amissam ut Syriam, desideriumque locorum,
 Et veteres clades causis solemur honestis.
 Te propter Solyme (nam quid pretiosius illa,
 Cur repetatur, habet ?) duris oppressa catenis
 Jam minus in voto est, tristemq; ante omnia collé,
 Collem infelicem divinâ cæde madentem
 Surgere, & in mediâ spectari credimus urbe.
 Te propter Bruge Solyma est, quæ signa triumphi
 Servat adhuc, quo vitæ auctor succumbere nostro
 Dignatus leto, Letum atque Acheronta subegit,
 Æternum statuens Solymæ in rupe tropæum.
 At tibi quas illo, ⁱ Alsati, pro munere Bruga

B 5

ⁱ Theodoricus Alsatius, Flandria Comes, in Syria ^{ad}
 Balduino Hierosolymorum Rege sacro suo inter va-
 ria regiæq; munera accepit Christi Domini Cruorem,
 ab ejus corpore, priusquam sepeliretur, abstersum,
 Et in pellucidâ crystallo seruatum: eum deinde Brug-
 gensibus donavit.

Persolvat grates? Lectos heroas Achivi,
 Æson déisque suum celebrent, Tritonide primū
 Æquora tentantem pinu, taurósque domantem,
 Æripedes tauros, infopitúmque draconem,
 Militiámque novam, juvenes è dentib⁹ ortos.
 Quod tantæ pretium laudis fuit? aurea pellis,
 Cantibus atque herbis (si quod celeberrima Gra-
 iūm

Fabula pondus habet) non vi, non milite raptā.
 Causa tua est melior, quæ te majora moventem
 Impulit armatis longinquum classibus æquor
 Metiri & toties. Nec pars est ulla laboris
 Ficta tui. Tua te pietas, tua maxima virtus
 Ad Solymen, & sideribus distantia totis
 Litora, Flandrorum vires & castra vehentem,
 Dis belli molem causámque tuentibus, egit.
 Nec te ullæ leti facies, non terruit hostis
 Sævior Ææum monstris servantibus aurum.
 Felix, cui quantò lanâ pretiosior aureâ
 Divinus sanguis, tantò præstantius illinc
 Quæsitum est spolium, merces & causa laboris.
 Ille triumphalis pompæ decus: ille tuarum,
 Omnia contuleris, pars est pulcerima landum.
 Te meritò ante alios magnis heroibus addit
 Flandria, quos olim auspiciis felicibus actos,
 Ardentésque animis, causâque, armisqne valentes
 Sidonio immisit pelago, Syriæque vocanti.
 Ipse tibi (tantùm cœptis non lœvus Apollo
 Grandibus adspiret) Pario de marmore signum
 Constituam, memorésque notas sub imagine
 sculpam.

Cùm domitus bello Nilus, tractúsque legetur
 Sub juga Jordanes¹, Flandrísque assertus Orontes,
 Quæque tibi palmas & se submisit Idume,

Et

² Quater cum copiis in Syriam profectus est Theodoricus.

Et Tyros, & Tripolis, quassatāq; Marte Damascus,
 A te gestarum series longissima rerum,
 Hoc ego tot titulis fulvo spectabile in auro
 Adjiciam : ALSATIUS SACRUM TIBI, BRUGA,
 CRUOREM.

Et dubites, quando cælum te, Carole, quando
 Bruga vocat, frontem vittis, onerique tiaræ,
 Atque adeò magnis animum submittere curis?
 Nam neque quidquid opum fert India, nam ne-
 que rubri

Litoris exuvias, nec quod felicibus aurum
 Eruit è terris Perie, tua cura tueri est.
 Grandius his pretiū tibi creditur. Heu quibus illud
 Educatum venis totum divisit in orbem
 Dantis amor! quam multiplici de vulnere fluxit!
 Hic crux, hic ipse est, truncus quem fudit ab alto
 Magna Dei soboles, durae data victima morti:
 Quo scelus antiquum, ac vitæ contagia nostræ
 Abluit, & justas extinxit Numinis iras.
 Illum adeò sancti heroës, dum flebile corpus
 Crudeli exemptum ferro, lignoque refixum
 Excipiunt flentes, & latos vulnerum hiatus,
 Et jam concretas letali frigore guttas
 Albenti abstergunt strophio, legisse feruntur,
 Et lectum seris servasse nepotibus, olim
 Donandum templis, arisque, & ture colendum.
 Salve ingens orbis pretium, pacisque perennis
 Mortalesque Deumque inter venerabile pignus,
 Sancte crux, quem gens odiis impulsa nefandis
 Expressit morte in mediâ. Tu corporis olim
 Sentibus & clavis laceri, sectique flagellis
 Implesti venas. Te visceribus proruptum
 Haufit amor. Tu nutribas præcordia circum
 Fervidus ipsum illum, qui te prodegit, amorem.
 Nata Deo, vindex generis fortissime nostri,
 Tene isto viles animas, patriique, suique

Damna

Damnatas sceleris , nocti devota profunda
Opprobria , æternis Erebi cohibenda catenis
Dignum pretio ! Nos ? in te quidlibet ausi
Nos tanti fuimus ? non te ignorantia veri,
Non aliquid nostri , sed vis huc egit amoris.
Obruimur meritis. Quæ dono reddit a tanto
Gratia , qui cultus fuerit satis ? Ite frequentes,
Ite boni, date tura , Deumque agnoscite in illo.
Sacra vocant , & festa dies , quâ Carolus aureo
Pontificum effulgens lituo , clarusque tiarâ
Templa subit. Quos ille ignes, quos concipit æstu
Pignoris aspectu tanti ! Dum bellua pugnat,
Dum turres fetas armis fert ardua dorso,
Si tantum quos arbor habet Thisbeia succos
Viderit , ignescunt animi , subit ira paventem
Proculcare aciem , & totis dare funera castris.
Quid non divini species objecta crux
Efficiet ? sibi constat adhuc , similisque recenti
Est color, & longo servat se vividus ævo.
Quin etiam visus quondam 3 posuisse rigorem,
Et liquidus fluere , & trepidis effervere guttis ,
Qualis ubi venis primùm stillantibus ibat.
Concretum solvebat amor. Quod fecerat olim,
Hunc iterum atq; iterum nobis dare velle putares.
Hoc tibi dum cœli magnum & memorabile donum
Ante oculos intérque manus versatur , ab illo

Ingen

3 Admirabile illud fuit quod ab anno 1148 usque
in annum 1309. vitro crystallino inclusus sanctus
Cruor , totâ hebdomade quasi concretus densatus.
que persisteret : at qualibet hebdomatis sextâ die
& primo diluculo in horam tertiam pomeridianam,
qua Christi suppliciis finem attulit, guttam stil-
laret , & liquidissimo fluxu ab imo ad summum
ferveret atque ebulliret ; & tum in duritiem rur-
sum coalesceret , ac stiparetur. Ita Clemens V. in
diplomate Pontificio.

Ingentes tibi sponde animos , certumque tuorum,
 Carole , præsidium. Non lapsa ancilia cælo ,
 Non Vestæ focus , æternæ spes altera Romæ ,
 Imperii tam certa fuit tutela Latini.

Ipse etiam tibi de superâ Pater 4 annuit arce ,
 Cui templum Bruge posuit , pignusque verendum
 Credidit , & pariter spes fortunâsque suorum.

Illum olim frustrâ profugum , frustrâque latenter
 Silvarum abstraxit latebris , solioque locavit
 Græcia , Cappadocumque sacris præfecit & aris.

Illum fulminibus linguæ & cælestibus armis
 Terribilem sensere Erebi furialia monstra ,
 Eunomiisque , Valensque , Arri infelicis alumni ,
 Unigenamque Deum contra nova bella moventes.
 Te quoque sic præsens stimulet Deus. Illius aris
 Depositum servas , quod te quoque servet , onusque
 Sublevet impositum , & vires infringat Averni.

FAVE

*4 S. Basilius , cui Theodoricus templum posuit , ut
 in eo sacer Cruor religiosè asservaretur.*



FAVE

FAVE BRUGARUM PRÆSIDIUM,
ET, QUO NULLUM EST
COGNOMENTUM DULCIUS,
PACIS CONCILIATOR,
S. DONATIANE,
INAUGURATO ANTE ARAS TUAS
CAROLO;
PACATA PER TE SINT OMNIA.
ARDEBAT OLIM
BELLO GALLICO FLANDRIA,
INTESTINIS ODIIIS BRUGA:
EXSTINXISTI FUNESTA INCENDIA,
DUM NUNC PACEM OMNES POSCUNT
REGES DIFFERUNT,
SERVET ILLE TE AUSPICE
INTER ARMA PACIS MORES,
SIC OPTIMUS VINDEX DILATÆ.

SENATUI, POPULOQUE
B R U G E N S I
 SUB EPISCOPO SUO
 P A C E M
 E T C O N C O R D I A M.

Non ego, dum sævus nec adhuc placabilis iras
 Mars fover, & laceræ mœrent cum civibus
 urbes,

Non ego, Bruga, tibi longi solatia belli
 Vana fero. Si pax nondum speratique regum
 Fœdera te fessam relevant, nondumque cruentum
 Hostibus extorsit ferrum Leopoldus: at ille,
 In fula cui sacris præcingit tempora vittis,
 Par aliquid, dignumque suo tibi præstat amore.
 Ille animo ingenti populum complexus & urbem,
 Arma inter (quamquam illa procùl nunc Axona
 nostris

Incessus signis, limosâque abditus ulvâ
 Visa pavet) pacis mœres legesque tenebit,
 Dilatae vindex. Longè tibi squalida crinem
 Anguis, & scissâ incedens Discordia pallâ:
 Longè Odia, & fuso hostile Fraus oblita vultum,
 Et scelerum prima inventrix & causa Cupido.
 Dira Erebi portenta! domos, commercia, leges,
 Omnia præcipiti miscere assueta tumultu.
 Excipe quem precibus Divos lacrymisq; rogabas,
 Excipe, Bruga, virum. Facies mitissima rerum
 Illius auspiciis veniet. Præcedet euntem,
 Qua se cumque feret, placido Concordia vultu,
 Et secura Quies, & non turbanda Voluptas.
 Inque vicem jungent dextras ignara nocendi
 Simplicitas, & cana Fides, terrisque videri

Gavisa

Gavisa Erigone. Quin & tibi candida Nais,
 Dictæo regem puerum quæ pavit in antro,
 Pacis amans, Paci semper gratissima Nais,
 Munera , quæ pleno servat bona Copia cornu ,
 Lætitiāmque feret. Nondum tua gaudia, nondum
 Quæ tibi pacato venient uberrima cælo,
 Bruga capis. Viden' ut, sacras dum altaria circum
 Carolus induitur vittas , lux aurea cælo
 Emicuit ? 1 Pater ecce , Pater qui præsider ædi,
 Æternūmque suo fecit de nomine nomen,
 Ritibus aspirat primis , pacemque per aras
 Poscenti populo dulcem responder amorem.
 Agnosco, accipiōque, Pater ; túque ô bona mecum
 Augurium agnosce , & læto clamore saluta.
 Non aliis tam præsentem cognoscere Divum
 Concessum terris. Illi tu maxima cura,
 Quando illi templis nusquam majoribus aræ
 Ture calent. Rhemi veteres , quos legibus olim
 Sacrorum erudiit , superásque evexit ad arces ,
 Inferius te nomen habent. Hic illius ossa ,
 Hic cineres : hic spirat adhuc & vivit in illis
 Non moriturus amor. Dum , quas tutabitur, aris
 Dignus honos , longâ tutam te pace fovebit,
 Præsidioque teget. Sæpè ille furentibus undis
 Surdus & scopulis subito mitescere vulgus
 Jussit , & irarum motos subsidere fluctus.
 2 Ille etiam inter se ruptis dum legibus urbes
 Arma ferunt (testor medio flagrante tumultu
 Illius attacatu cinerum sanata repente
 Corpora) pace datâ sceleratos condidit enses.

3 Ille

- 1 S. Donatianus , Rhemorum Episcopus , urbis Brugensis & primarii templi Patronus.
 2 Flandriâ in factiones distractâ tumultus Brugis
 sedatur S. Donatiani reliquiis publicè expositis ,
 ad earumque contactum puer claudus & paralyticæ mulier sanantur.

3 Ille etiam regum pugnas & bella diremit,
 Et generos saceris concordi fœdere junxit.
 Flandria, Silvani quondam Dryadumque sororum,
 Dum nemora & saltus stabant, gratissima sedes,
 Da veniam, si te veterum meminisse malorum,
 Namque tot obductum sæcis rescidere luctum
 Cogimus. Est quædam vulnus tractare voluptas
 Dum coit, telumque alto quod pectore sedit.
 Scis Mater, scis ipsa (exorsa hæc & námque tuorū
 Prima recognoscis decorum) quo Ferreus olim
 Te tuus implicuit bello, dum regia lævis
 Quaritur omnibus virgo, thalamoque jugatur.
 Multi illam regno è patrio totaque petebant
 Europā: nondum plenos adoleverat annos,
 Consortis crudam thalamo rex ipse Britannus
 Reginam adjungi miro properabat amore.
 Dum spes quisque suas, & quos fovet, adjuvat
 Ingenti ante alios curarum fluctuat æstu (ignes,
 Ferreus, & thalami metuens certamine vinci,
 Non regem tentat sacerum, mollisque precando,
 Sed facit. Ergo animi victus, calidisque juventâ,
 Omina nil placidum thalamis spondentia ridet,
 Nupturamque rogat: nec se negat ipsa roganti.
 Quid faciant? clam pacta fides & mutua jungit
 Cura duos. Dum nulla viam custodia claudit,
 Diffugiunt furtim celeres, & tuta capessunt.
 Nil facti novitas, ruituraque fama per urbes,

Nil

3 Balduinus Ferreus Iuditham Caroli Calvi Gallia Regis filiam lubentem quidem volentemque, sed invito patre, è Gallia domum duxerat. Id bello causam dedit.

4 Reconciliatus sacer Balduinum creavit primum Flandria Comitem, donavitque dotis nomine totâ illâ regione, qua Scaldi, Somonâ, Oceanique clauditur. In reconciliati amoris pignus addidit reliquias S. Donatiani.

Nil patrius terret furor, & metuenda potentum
 Quantumvis summota manus. Temeraria scepè
 Res amor est, damnisque suis, quæ sentit, inhæret,
 Ignoscitque sibi. Quantis dotabere rapta
 Funeribus ! qui te casus, quæ bella sequentur !
 Non Pax, non roseas præfert tibi Gratia tædas.
 Pronuba te Bellona manet : mœstisque Hyme-
 næus

Lumina dejectus vultu, quæ nuntiat, horret
 Arma ; facésque suas, dum magni incendia belli
 Præsagit metuens, à tanto vindicat igni.
 Notus amor Paridis, nota est injuria : notus
 Atridæ dolor, atque ardens face Troia jugali.
 Hei mihi quas campis acies, quos Flandria luctus
 Aspicies miseranda ! quibus terroribus urbes
 Implebis patrias ! Etiam tibi partus Achilles,
 Qui nuptam reperat. Furor undique, & undique
 strages , (centum.

Armorūmque horror, gemitusque in strage ja-
 Me miserum ! prohibete iras, prohibete furem
 Cælicolæ. Xanthum hîc aliū Simoëntaque cerno
 Sanguine spumantes nostro. Raptata sub undis
 Corpora tardati nequeunt evolvere fluctus.
 Bis magno quamquam sacerū certamine victum
 Fregerit, armatâ referens sua nomina dextrâ
 Ferreus, atque acri sponsæ inflammatus amore.
 Iamque adeò irarum causæ, bellique furores
 Omnia miscuerant, cum tanto in turbine resum
 Sollicitus Pater æthereâ respexit ab arce
 Collisos bello populos. Olli æthere summo
 Astabant Divæ centum, pacalibus omnes
 Velatæ ramis, omnes æterna paratæ
 Fædera conciliare, animosque inhibere furentum.
 Quarum quæ Divum cineres veneradâque gaudet
 Pignora dignari templis, certissima tanti
 Dux operis legitur. Quâ vultu oculisque serenis
 Jam

Jam dudum aspectat Pater, ac deinceps talibus infit:
 Vade age, & haec celeres Calvo fer dicta per
 Absistat bello, neve intra&stabilis iræ [auras.
 ¶ Romano Patri, cujas se Ferreus ultrò
 Credidit arbitriis supplex, parere recuset.
 Non generum regno indecorē, prolémque videbit
 Indignam thalamis. 6 Illâ de stirpe nepotes
 Illustres surgent animæ, quas Marte togâque
 Præcipuas, famâ virtus æquabit Olympo.
 Certè hinc invictos bello tabularia Divum
 Hinc fore ductores memorât, qui Bosporon armis
 Invadant patriis, validâque Propontidos æquor
 Clasē tegant. Illis sceptro solioque potitis
 Submittent domitos Byzantia litora fluctus.
 Illos Antiochis, illos regnata Seleucis
 Oppida, & Odrysias Solyme resoluta catenis
 Quadrijugo inventos curru, lauróque revinctos
 Excipient. Sæpè & spoliis Orientis onustos
 Laudabit reduces, partoque assurget honori
 Gallia. 7 Nec reges pueros pariterque potentis
 Tutelam regni tantis virtutibus olim
 Subnixam non esse volet. Quid fœdera durus
 Abnuat, & de se stirpis surgentis honores
 Felici invideat thalamo? Satis arma supérque
 Præceptas tædas temeratâque jura piarunt.

Hac

¶ Nicolai I. Pontificis Romani auctoritatem ad
 placandum sacerorum regem imploraturus Baldui-
 nus, Romanum unâ cum uxore profectus est.

6 Celeberrimus emniūque nobilissimus Flandria
 Comitatus, è quo Comites bellis sacris clari, ad
 Byzantium Imperium & Hierosolymitanum Re-
 gnum evecti.

7 Balduinus V. Flandria Comes, ex Henrici Regis
 Gallia testamento, Philippo I. & Hugone adhuc
 & tate minoribus, Regni Gallici tutelam admini-
 stravit.

Hac traxisse tenus vario discrimine pœnas
Fas fuerit, patriamque armis explesse dolorem;
Nunc placidum in Flandros animum mentemque
benignam

Mitior accipiat, generoque in pignus amoris
Corporis exuvias nostri transmittat habendas.
At tu pignoribus nostris pulcerrima famam .
Bruga dabis.⁸ Bonus hic ævo veniente Philippus
Purpureos inter proceres consideret & ipse
Purpureus; cineresque meos testatus & aras,
Bistonidum flagrans odiis concepta praibit
Fœdera. Tum primum lectis Heroibus ostrum,
Velleraque injiciet fulvo radiantia villo,
Vellera, quæ magno accipiunt pro munere reges.
Quondam etiam hic nostris astabit ⁹ Carolus aris
Pontificum vittâ insignis, custosque tuarum,
Flandria, perpetuus legum. Quibus ille jacentes
Eriget auspiciis animos! solatia mœstis
Quanta feret! Bellū populos, lacrymabile bellum,
Funeraque, & strages, & flenda auctoribus ipsis
Excidia involvent (sic namque æquissimus ulti
Rescindet scelerum pestes Deus) ille tumultu
Armorum in medio leges firmabit amoris,
Mutuaque æterno constringens pectora nexu,
Squalorem & mœstæ lacrymas solabitur urbis.
Carole, te poscunt hæc tempora: te mea poscit
Bruga sibi: sua vota tuo metitur honore.
Sis felix, & templa subi pede nostra secundo.
Et populi quando unanimis lenire voluntas
Tædia, fortunaque potest, & crimina belli,
Spes de te tantas paribus virtutibus expli.
Dixerat: illa sinus auro collecta fluentes

Pro

⁸ Philippus Bonus Brugis primum Equites aurei
Velleris creavit.

⁹ Carolus vanden Bosch, Episcopus Brugensis,
idemque perpetuus Flandria Cancellarius.

Protinus imperio paret. Gratatur eunti
 Astrorum chorus, & liquidā quacūque per æthram
 Tendit iter, divinus odor latè imbuit auras.
 Et jam iussa facit. Belli rex ponit amorem :
 Iráque, quam clades, quam regni flectere luctus
 Non poterant, Divæ monitis infracta quiescit.
 His super, augustis rata jam connubia donat
 Muneribus : mittunt sacras tibi, Flandria, Rhemi
 Exuvias, pacis numquam violabile pignus,
 Depositum pretiosum, ingens. O Bruga, quis ille,
 Quis fuit ille dies, quo te tot vulnera passam
 Respexit propius Pater, indignisque tot annos
 Casibus exhaustam longâ formidine solvit !
 Quo studio effusi proceres, matrésque, nurúsque,
 Invalidique senes ! Nullus celebratior illo
 Visus in urbe dies. Pars spargere floribus urnam,
 Pars dare tura focis, & Divo dicere laudes
 Carminibus patriis. Tibi enim, Pater optime, de-
 Omnia, servatas urbes, natósque, larésque, [bent
 Sacraque, fortunásque, & lætos frugibus agroś,
 Et quo scumque vident soles fulgere serenos.
 Tu bellum & belli causas in Caspia tradis
 Äquora ferre Notis. Tu blandum pacis amorem
 Regibus inspiras, placidósque in fœdera mittis.
 Fœdera tu, venerande, salutiferámque quietem
 Concilias. Sis ô templis arísque receptus
 Utiliter, populúmque juves tibi vota ferentem.
 Auxilio tali quid non sperare juberis,
 Carole, spes in te quando inclinata tuorum
 Nititur, & tanti moles te ponderis urget ?
 Quam tu urbis cernes facié, quæ, munere Divūm,
 Gaudia ! quæ surget patriis concordia rebus !
 Armorum quantum terror finet, otia fessis
 Præstabis populis, & quæ Mars pluriima secum
 Damna trahit, dulci miscrans solabere curā.
 Non iræ, aut odiis usquam locus : omnia pacem,

Om

Omnia spirabunt, qui per te crescat, amorem.
 Ac veluti æternis cum Dindyma cana pruinis,
 Dindyma, seu Rhodope, grata vice veris & Austris
 Intepuere, nives viæ liquuntur, & altis
 Præcipitant scopulis undæ : pulsata fragore
 Saxa sonant, qualis canibus succincta lupisque
 Scylla fremit, Siculo procil exaudita Peloro.
 Tum flexus post multiplices si forte reductum
 Nacta sinu est, Boreæ atque hiemis secura furētis
 Unda filet, sacris silvæ tranquilla sub umbris.
Haud aliter, dum te tuta & secura parente est,
 Bruga, decus Belgij, tua, Carole, cura, quiescat.
 Heu qu' anam alternis lacerantur stragibus urbis
 Quidve odiis tantis petitur ? simul omnia credas
 In terram è Stygiis monstra erupisse cavernis.
 O patria ! ô longum infelix, defuetaque paci
 Flandria, Mavortis sedes ! quis acerba tuorum
 Excidia æquarit lacrymis ? numquāmne levare
 Cladibus, & finem dabitur sperare malorum ?
 At tu, dum constans Amor & Concordia muros,
 Bruga, tuos habitat, mediis in luætibus aude
 Tollere læta caput, tristisque resolvere curas.
 Quid tantum hostiles iræ, atque immitis Enyus
 In te animi possint, si mens est omnibus una,
 Unaque vox, unus sese exhortantibus ardor.
 Tum non immanis Briareus, Titania proles,
 Centenis fidens manibus, non ipsa tenebris
 Excita Tænariis Furiarum maiora pacem
 Rumpere, non causas valeat convellere amoris.
 Quidlibet eveniat, stantem nil prouet urbem,
 Communis quam servat amor. Tot corpora pug-
 nant,
 Tot vigilant oculi, tot colla humerique ferendo
 Succedunt oneri, quot amico fœdere cives
 Inter se coëunt, studiis opibusque parati
 Consulere in medium, & trepidis occurrere rebus.

Non

Non illam ærati vœctes, æternaque ferri
 Robora munierint melius; non turris ahena,
 Foscarumque moræ, positæque in montibus arces.
 Respice res Italum varias. Non Annibal urbem
 Perdere, non portas valuit perrumpere Marsus;
 Non Etrusca manus, non qui servilibus armis
 Ausonios rapuit victo bis Consule fasces.
 Respice securam nullis Lacedæmonia muris.
 Pectora murus erant concordia. Terror & hostis
 Stantibus addebat vires, addebat amorem.
 Sic ubi Strymonios saevis Aquilonibus amnes
 Vinxit hiems, tepidæ fumant in fontibus undæ,
 Séque antris calor abdit: hiēs facit ipsa calorem.
 Sic & turritis instans è mœnibus hostis
 Tectam aciem supra saxorum immania frustâ
 Pondera devolvit, nexamque revellere pugnat.
 Densi harent clypei clypeis, junctusque viro vir,
 Atque omnes validâ subter testudine casus
 Impunè excipiunt. Sic asper, & improbus irâ
 Dum procūl crumpit silvis lupus, agmine facto
 Sparsa boum latè campis armenta videmus
 Undique confluere, atque adversis cornibus hosti
 Obstare: ille pavens, quamvis rabiéque faméque
 Effetus, exululat, rictûque infrendet inani.
 Vixtus abit: tutæ repetunt sua prata juvencæ.
 Tanta venit junctis vis & fiducia rebus.
 Tûque adeò ô custos generis, Concordia, nostri
 Huc ades, útque facis, Brugam tutare, novosque
 Adde tuis animos & inexsuperabile robur.
 Te sine, fœderibus ruptis, & pontus, & aër,
 Terraque discordes sine lege, sine ordine pug-
 nent.
 Te sine nec Titan mundo, nec lumina Phœbe
 Præbeat, & rerum moles confusa fatiscat.
 Te, Dea, te meritâ redimitus tempora vittâ
 Catolus ad sua sacra vocat: tibi latus ad aras

Vota

48 JAC. VVALLIJ HEROIC. LIB. I.
Vota facit plenūsque tui. Miserare precantem
Et fractum bellis populum. Si Ferreus olim
Auspice te ferrum posuit, pacēmque redux it;
Si consanguineis stillantia cædibus arma
Munere sœpè tuo manibus cecidere remissis;
Si sacri Divūm cineres, aræque sacrorum
Custodes cinerum, tua si tibi mœnia curæ;
Concordes animas, tutelæ munus opūlque,
Diva, tuæ serva, stirpésque excide malorum.



HEROI

HEROICORUM
LIBER SECUNDUS.

CAROLO IV.

LOTHARINGIAE ET BARRI DUCI.

*Cum Godefridus Bullionius Lotharingiae Dux,
Terrae sanctæ assertor, Hierosolymæ expugna-
tor, & Rex, à Gymnasio Societatis Jesu Bru-
xellis illi exhibitus, dicatusque esset, ejus-
démque munificentia sollemnia Juventuti
præmia distribuerentur, Anno*

M. DC. XLVIII.

 Onij montes, & doctæ culmina Cirrhæ,
Musarum, Phœbique arces, assurgit e
calo [sacris,
Altiù. En vestris iterū reverentia
Priscaque majestas rediit. Neque sola Calabro
Ausonias vati submisit Roma secures.
Scipiadæ rediere: & belli fulmina, & iras,
Armāque Pierio gaudent deponere luceo,
Et dulces Martis comites sibi jungere Musas.
Immortale, ingens, notum super æthera nomen
Carolus, Austrasidum genus alto à sanguine regū,
Ingeniis, Musisque favet. Subit ipse virentes
Sacerorum saltus nemorum, non qualis in hostem,
Terrificos cæli tonitrus imitatus, & ignes,
Fertur equo, stragēmque ciet; qualisve feroce
Componit, miscetque acies. Occurrite Divæ,

C

Et per odoratum lauri nemus , & loca plena
Numine, per rupes, habitatque vatibus antra,
Per Phœbi delubra, per Aoniam Hippocrenen
Ducite, quando ille interea secludere magnas
Dignatur curas, & amica revisere Tempe.
Pacem vultus habet: pacis certamina & artes
Instaurans, donis cumulat. Comitantur euntem
Innexæ manibus Charites, Pietasque, Vigorique
Et Favor, & placido aspirans Clementia vultu.
It dextrâ sublimis Honor, formosa Deorum
Progenies, Decorumq; pater, quem ponè sequuntur
Fama ingens meritis, & ovantes carmine Laudes,
Lætitiae, Plaususque. Io date ferta Camœnæ
Augusto capiti, quæ circum tempora serpant
Inter victrices quas illi aut Moldava lauros
Detulit, aut Sueco turbatus sanguine Rhenus.
Tum, si quid Regum curas, & tristia bella
Solari tenues possunt, aut fallere cantus,
Tantis per vacuas belli clangoribus aures
Carminibus mulcere. Dedit, dedit ipse canendi
Materiem, qualem aut Troiae populator Homero
Aut Anchisiades pietate insignis & armis
Andino vari: nunc Musis præmia ponit,
Mæcenatis opus. Salve fortissima bello
Regia progenies, & Musis nata fovendis.
Tu medios inter lituos Heliconis amorem
Aspiras: tu summa urges ad culmina vates,
Virtutemque tuis crescentem laudibus ornas.
O mihi si quondam umbroso sub Phocidos antro
Insidieat tantus vari calor, ut tua facta,
Bellaque, fortunásque, & quos te volvere casus
Impavidum, invictumque animo Mavortius ardor
Impulit, æternum liceat demittere in ævum!
Ipse ego tum nostris sublimem in montibus arcum
Constituam, bellique notas atque arma ferentem
Perfectum argento, & barbarico elephanto.

Non h̄c te primis levia & ludicra sub annis
 Tentantem , aut fictas urbes , simulatāque veris
 Mœnia scandentem faciam. Longo ordine sculpam
 Prima rudimenta , & Pragæ sub mœnibus altis
 Hercinii saltus Nymphas , Albīnque , Salānque
 Ad pacem per te , libertatēmque vocatos .
 Stabunt & Lothari , bellis experta juventus ,
 Auspiciis armisque tuis , cæloque secundo [tes
 Certa Gothos , certa & Gallos socia arma moven-
 Austriadūm imperio , totōque avertere Rheno.
 His ego Norlingæ pugnas , & quid tuus illic
 Fernandos inter geminos Mars egerit , addam.
 Addam & Danubium , & ferventes milite ripas :
 Tum vim consilii celerem , bellique procellâ
 Obruta momento castra , hostilique madentem
 Sanguine Dutlingam , raptâsq; in vincula turmas.
 Parte aliâ Dubim manicis , arctâque solutum
 Compede , securæ lambentem mœnia Dolæ
 Cernere erit , Gallumq; tibi dare terga i fugacem ,
 Inque auro pallere duces , & vertere signa.
 At mihi sit , quâ frons sese pulcherrima molis
 Explicat , invictum bello , Syriæque timendum
 Ponere Gotfredum , gentis decus. Illius arma ,
 Illius invectas in Idumes regna phalanges ,

C 2

¹ Non ego profectò bellicosam gentem notare hoc
 verbo volui , ut quidam putavit , qui me de hoc
 amicè monuit , cùm hoc poëmatum seorsum , ut
 tum res ferebat , excusum legebatur. Horatius
 equos belli & bellici tumultus assuetos , fugaces
 dixit , id est , fugientes ; fundum naturâ ferti-
 lem , mendacem , cùm coloni votis fortè non re-
 spondisset : Virgilius fugacem illum , quem bel-
 latorem nominaverat. Et non erat quidem com-
 mentariolo h̄c opus : at erit è juventute , cui
 hac scribimus , fortasse aliquis , qui ex nobis hoc
 primum discet.

Ereptámq; jugo Solymam, augustúmq; sepulcrum,
 Limináque, & sparsum divino sanguine montem
 Ex ebore effingam: sed non & sceptrá gerentem
 Debita, non gemmis radiantem, auróq; coronam.
 Heu pietas insueta! heu numquam visa triumphi
 Præmia! ducentur vicitria tempora circum
 Implexi sentes: supplex, & squalidus ibit,
 Pérque sacras nudata feret vestigia terras.

Tunc ego, seu signis pergas tua jungere signa
 Austriadum, & bello pressis succurrere Belgis:
 Seu proprios certè fines, aliisque gementem
 Sub Domino populum recrees, pacémq; reducas:
 Tunc ego non alio exoptem te bella movere
 Auspice, non alio jubeam sperare triumphos.

ORDINIBUS FLANDRIÆ.

*Cum Evangelicam Lucem in Emblematum
 velo translucentem illis dedicaret Henr-
 cus Engelgrave Societatis Iesu.*

Exorere, & totum radios diffunde per orbem
 Aurealux. Non te Pyroeis, & Eous, & Aethon,
 Sidereusq; Phlegon, quamquam per inania currus
 Phœbeos rapiant, & puris athera lustrant
 Igibus advexere. Tuus formosior ortus.
 Tu face, tu flammis tristes melioribus umbras
 Discutis; & quantum, cum cornua plena refecit,
 Cynthia Luciferum, quantum Sol igne sororem
 Natio exsuperat, tantum tu publica mundi
 Sidera. Temporibus certis surguntq; , caduntq;
 Noxque tenebrarum metuenda horrore suarum,
 Cum latuere, redit. Non tu fugientibus horis
 Occidis, aut cæcis subducis lumina terris.
 Aeternum fulges: aeterno à lumine semen
 Accipis, haud ulli patiens concedere nocti.

Olim

Olin atras inter tenebras umbrásque fuere
 Prævia signa tui , quas Euphratea secundūm
 Flumina Buzides vedit volitare quadrigas
 Ardentūm plenas radiorum , ignisque corusci ,
 Totus & ipse igni , & radiis cælestibus ardens.
 Axis erant flammæ , remo , mirabile , flammæ ,
 Flamma rotæ , radiique , & lora nitentia flammæ .
 Electra aspiceres mediis illudere flammis
 Aurea. Concordes ibant ad frena jugales
 Fulminibus similes ardentibus. Omnibus una ,
 Et diversa tamen facies , & quæque figuris
 Bis geminis variata. Aquilæ , fulvique leonis ,
 Et bovis , & veros hominis simulantia vultus
 Ora ferunt omnes , habilésque volatibus alas.
 Regina alituum pennis ad sidera niti
 Velle videtur , & adversi patientia solis
 Lum'na defigit cælo , quò tendere contrà
 Terreno nequeunt hebetes in corpore sensus.
 Additus est olli juvenis , vocemque , colorēmque ,
 Oraque mortali similis , sed qualis ab alto
 Delapsus terras subiit Deus , unus utrūmque .
 Tum leo silvarum dominus , terrórque ferarum ,
 Torva tuens , animisque refert fremitūq; tonantem
 In silvis vatem , & pueros , matrésque , virósque
 Ingenti effusos studio ad nova sacra vocantem .
 Cornibus , & latâ spectandus fronte juvencus ,
 Qualis opima tuis , Solyme , stetit hostia templis ,
 Uno codémque coit mirando in corpore nexus .
 Omnia quæ quondam Nabathæa ad flumina vates
 Attonitus claris vedit rutilantia flammis ,
 Confessusque Deum , nostris neque vocibus usus
 Edidit : æterni servant oracula fasti .
 Illa fuere tui , Lux ô pulcerrima , quæ nunc
 Orbe diem toto spargis , splendoris imago .
 Hæ facies , hi te currus , axésque rubentes
 Ignibus , hi volucres cursus tantò antè notabant.

O cæli decus ! ó nostræ dux una salutis,
 Æternum jubar , & mundi melioris origo !
 Quis te , quis tantos oculis mortalibus ignes
 Hauriat ? infirmæ vires , aciésque retusæ
 Ferre negant. Vis tanta tuæ est & copia flammæ.
 Ut tamen optato, quâ fas est , lumine detur
 Posse frui , obtendit tenuis tibi nubis amictum
Docta manus , pictisque obnubit lumina velis.
 Ac velut objectâ cùm Sol sub nube latentes
 Dissimulat radios , quamvis non cernitur ulli ,
 Scire tamen possis , quo cæli limite cursum
 Obductus teneat , prætentâque nubila vincat
 Sic etiam positus : totum non occulit umbra :
 Illa jubar tantum minuit , non eripit orbi.
 Haud secus, ut cerni possis , & ab æthere lumen
 Innocuum & terris melius spectabile fundas,
 Obduci nitidos pateris velamine vultus.

Vos hæc, vos propriùs radiis fulgentibus afflat,
 Flandrorum Proceres , oculosque invitat , & ultrò
 Spectandam fese variâ sub imagine præbet.
 Huc geminas acies, huc totam adverteite mentem.
 Volvimus, & cæcis spes nostras credimus undis.
 Nec tam Getulæ Syrtes , succinctâque sœvis
 Scylla rapax canibus nautæ metuenda Sicano,
 Quâm mens nostra sibi. Scopulus sua cuique cu-
 pido est.

Nec tot in abruptum puppes vorat alta Charybdis,
 Infamisque sinus Maleæ , quot livor , & ira,
 Ambitióque , metusque , humani pectoris æstus,
 Exitio tristi involvunt. Heu ! litora pauci
 Tuta tenent , dum , quò præceps rapit ardor , a-
 guntur ,
 Dum vada nulla cavent. Et vobis gratiōr ulla
 Lux cælo veniat , quâm quæ brevia inter & æstus
 Vos regat , & cursus jubeat sperare secundos ?
 O navis secura tui , dum turbida ponto

Surgit

Surgit hyems, & nox tenebris hiemisque suisque
Incubat! ô quid agis? quem monstrant lumina
portum

Respice. Nónne vides, ut malus saucius Euro,
Antennaeque gemant, atque imperiosius æquor
Convulsæ nequeant ultrâ durare carinæ?
At, nisi ludibrium debes miserabile ventis,
Ne placitos, qui te fallent, respexeris ignes.
Heu nihil infidæ fas quemquam credere luci!
Quos procùl Euboico de litore Nauplius ignes
Sustulit, Argolicas traxere in saxa carinas.
Te sequimur, Lux alma, viæ dux optima nostræ.
Nulla Pharos, cùm certa negant se sidera nautis,
Tutiū errantes deducit in æquora puppes.
Te sine cæca via est: horrent obsecsa tenebris
Omnia: lux si quæ rimis aliunde malignis
Proditur, in scopulos & saxa latentia ducit.
Ne mihi, ne rigidi dicent præcepta Catones,
Intonsique Numæ. Non sanguine scripta Draconis
Jura, Therapnæique morer decreta Lycurgi,
Utiliter quamvis & honestè plurima dicant,
Et peccare vetent: suus est tamen error in illis.
Sanctius his aliquid superis è sedibus orta
Lux aperit. Falli prohibet, Verumque, Bonumque
Detegit, & quidquid dubiis Prudentia rebus,
Temperies lœtis, duris Constantia poscit.
Hæc ubi se prodit, pariter Reverentia legum,
Et Pacis nutrix Pietas, & nescia fraudis
Incorrupta Fides manifestâ in luce resplendent.
Excedunt Erebi pestes, Injuria recti
Contemptrix, ritusque audax abolere priorum
Impietas, miserique parens Discordia Belli,
Et Mala Mens culpæ pallens horrore, suique.
Volsque adeò, quos res patriæ bellique domique
Grandibus exercent curis (sic Flandria vestris
Tuta stet auxiliis, nec tristes horreat ultrâ

Armorum strepitus : sic Pax dulcissima rerum
 Pertæsos Martis populos urbésque revisat)
 Inscriptum vobis monumentum & pignus amoris
 Convenienter operi , placidoque admittite vultu.
 Quod si alias docti vobis placuere labores,
 Nunc certe placeat , quæ , dum gratissima mœsta
 Reddita lux patriæ est, lucē quoq; pagina præfert
 Lucem immortalem, quæ Divūm arcana retexit,
 Et recti pravique vias , cælique vocantis :
 Quā veniente novi venit quoque temporis ætas,
 Et , quo nunc fruimur , sæclorum sanctior ordo.
 Si sinerent vires , aut si quid vota valerent,
 Pyramidas super , aut Rhodii simulacra Colossi
 Educatam cælo Morinorum in litore molem
 Poneret ex merito noster labor. Hic ego duris
 Neptunum exutum vinclis, portusque reclusos ,
 Et captas cælarem urbes. Hic maxime stares
 Austriade , clypcosque super fulgentiæque arma
 Aurens. Armatae starent circum ostia puppes.
 Classibus adversæ classes , effictaque in auto
 Æquora ferverent navalis imagine pugnæ.
 Utque sui vobis debet victoria partem,
 Partem opere in tanto vestrum quoque nomen ha-
 beret.

Nunc, quoniam solis hoc possunt carmina votis ,
 Sit liber hic grati , quod vobis Flandria debet,
 Obsequii vivax testis : sit temporis hujus,
 Quo vestris etiam studiis opibusque receptæ
 Exultant urbes , monumentum in sera superstes
 Sæcula , marmoribus solidoque perennius ære.
 Si qua fides vatuum auguriis,dum magna vigebunt
 Nomina , dum meritis æqui solventur honores ,
 Dum Patriæ Patres vos dicet Flandria , vivet.

FERDINANDO PHI-
LIPPO GUILIELMO,
JOANNIS ADOLPHI
COMITIS SCHWARTZENBERGII, &c.
AUREI VELLERIS EQUITIS
FILIO,

GENETHLIA CON.



AMICE LECTOR, Non existimo grave tibi futurum, si prius te paucis morer, quam appositam genesin inspicias, & paullò post versu descriptam legas. Mathematici, inquit Tacitus, cum de iis loquitur, qui novos motus, & clarum Othoni annum observatione siderum affirmabant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax,

quod in civitate nostrâ & vetabitur semper, & retinetur. Et ita quidem variis edictis & senatus consultis abire ex urbe atque Italâ jussi sunt, interdum & Tarpeio saxo dejecti. Verum ut quisque feruntur futurarum rerum auguriis capit, & cupidine ingenii humani libentius obscura creduntur, fit, ut dâ levia hac atq; inepta ingenia blandissimis desideratissimisq; promissis siderum vires addunt, & mendacii suis caliginem obiciunt, audiantur. Quid igitur? egône me huic negotiosissima vanitati immiscere volui, præsertim cùm divinis vocibus atq; oraculis insana illa vaticinâdi libido atq; temeritas coœrita sit? Minimè verò. Non ego fixas errantésve stellas consulere, non ullius vitam non casum ullum infictis earum domiciliis legere didici. Quid? quod ne diffimulem, quâm vanus hic vates fuerim, cùm à Romanorum Rege, quem ego maiestatis patriæ certissimum heredem nominavi, multa puerò policebar, cuius nunc acerbissimam Christiano Imperio mortem boni omnes lugent. Musaram igitur est, quidquid hic dedimus, qua aliud nihil spectarunt, quâm quis esset nascente puerò orbium caelestium status, animi causa describere, & vota sua, non à cali affectione, sed ab insigni erga illustrissimam familiam, sobolémque ex ea propagatam studio profecta, ornatiū explicare.

ILlustres animæ, quas cælo Martia virtus Addidit, inq; suis gens Schwartzenbergia ceris Læta recognoscit, parvum spectate nepotem, Qui primum teneris implet vagitibus autas. Nunc vultu; belli studiis & laudibus olim Vos referet: neque delusos spe tollet inani Nota secuturus vestigia. Vos modò cunas Cingite, quâ toties cinxistis tempora, lauro. Est aliquid vestros annosa per atria vultus Ordine spectari; sinitaque bella triumphis,

Et genus, & titulos, & res, & nomina regum
 Subscribi statuis. Sed non simulacra vetustæ
 Laus sunt prima domus. Debent sculptoribus arte.
 Omnia sunt similes vultus, habitumq;, vigorémq;, ,
 Ardentésque oculos, nihil est in imagine vitæ.
 Hic puer, hic vestræ major virtutis imago est.
 Vivitis Heroes, series longissima, tanti
 Sanguinis auctores, & adhuc supereftis in illo
 Pectore. Non toti fato cessistis & umbris.
 Sic clypeum, sic arma geret, sic agmina ducet
 Sic ruet adversas acies, stragésque feretur
 Per medias, ut vos olim, cum Gallia sensit,
 Fortia quid possent, securaque pectora leti,
 Aut cum fulmineis fregistis Bistonas armis.
 Hæc ego non vanus, nec veri improvidus auctor
 Vaticinor. Produnt animorum semina vultus.
 En tenero quantus puero vigor! en ut ocelli
 Sideribus similes radiant! utque ora, genæque,
 Quamquam cognosci possit quoque mater in illis,
 Plus tamen & patriæ spirant virtutis, & aeres
 Promittunt animos, & dignas sanguine vires?
 Qualis ubi perrupit humum, tenerumq; cacumen
 Surculus exeruit silvâ Dodonide natus,
 Si primæ vigeant frondes, si recta valensque
 Surgat, & enodi tollat se stipite virga,
 Arbor erit firmo solidissima robore, quæque
 Subjectum exsuperet frondoso vertice lucum,
 Contempta Notos, aëtósq; Aquilonibus imbræ:
 Sic pueri æthereas primum venientis in auras
 Et color, & species, & vultus, & omnia fortæ
 Quæ spondent animum, laudis sunt signa futuræ.
 Ipse genus, generisque sui sentire videtur
 Auctorem. In primo tantus vigor eminent ortu.
 Ipsa etiam Natura nihil neglexit in illo,
 Sollertique manu formatos corporis artus
 Magnâ animâ dignum hospitium sedémq; paravit.

Eit

Est locus æterni sedes placidissima veris,
 Über aquis : spirant Zephyri , puroque recentes
 Nectare perfundunt flores : cum floribus herbas,
 Et gravidas fruges , & poma gravantia ramos
 Semper alit , semper similis sibi parturit annus.
 Naturæ domus est. Solio sedet illa virenti
 Sublimis : rosei vultus , plenisque vigoris
 Orè color : turgent niveo rorantia lacte
 Ubea præcingunt frondes & poma capillos.
 Versicolor vestis , molli quam texuit auro
 Ipsa sibi , pictamque manu variavit & arte.
 Materiam ars superat. Nämq; illic æthera magnum
 Fecit , & æthereis infixos orbibus ignes.
 Addidit & pelagi tractus , fluviisque , lacisque ,
 Pascuaque , & campos , & opertos arbore montes.
 Terra feras , volucres aër , genus omne natantum
 Æquor habet : veros credas frondescere ramos
 Arboribus , veros in aquâ colludere pisces ,
 Deferri veris volucres per inania pennis.
 Mille dea est sollers operum , gremioque feraci
 Mille parit rerum species , dulcemque laborem
 Assidue exercet , vitisque & corpora fingit ,
 Frigida permiscens calidis , humentia siccis.
 Illa solo fixos frutices , stirpesque virentes
 Educat , & libro truncos & cortice vestit ;
 Hos foliis , alias foliis & fetibus ornat.
 Illi se debent volucres , pecudésque , feræque ,
 Quique aut fluminibus vivunt , aut æquore pisces.
 Illa etiam nostros effingit sedula vultus ,
 Artificique manu nervos componit & ossa ,
 Corporeisque suis attemperat usibus artus.
 Ut facies , sic ingenium non omnibus unum .
 His roseo teretes distendit sanguine venas :
 Terræ plus aliis , aliis plus adjicit ignis ,
 Plus aliis frigentis aquæ , quæ corpore toto
 Diffusa surgentes hebetat sub pectore flamas .
 Præcipue Heroum sunt illi corpora curæ ,

Quorum humeris pax, & bellum, tutelaque legum,
 Et populi, & regum, quanta est, fortuna recumbent.
 Illis vivaces circum præcordia flamas
 Subjicit, & puri vitales ætheris auras.
 Uranie in parte est operum. Quod durus iniquis
 Saturnus radiis, quod latus Juppiter afflat,
 Quod Sol, quod Phœbe, quod fert Cyllenius ignis,
 Artibus insinuat, teneroque in corpore miscet.
 Parve puer gaude. Tibi enim, tibi munera larga
 Multa manu Natura dedit, similisque paternis
 In te fudit opes, & avitæ semina flammæ.
 Illa tibi succis finxit melioribus artus,
 Implevitque tuas generoso sanguine venas.
 Plebeiæ nihil hic animæ, nil pectore toto
 Frigoris ignavi, vegetos quod sopiat ignes.
 Infusa vis nervis: ardor præcordia circum
 Vividus. In quantum crescunt hæc brachia robur!
 Brachia, quæ molli nunc stringit fascia nexu;
 Sublatura ensem, veniat modò fortior ætas,
 Fulmineum, ardente, quem multa cæde tepentem
 Conversæ metuent acies, jugulisque retundent.
 Non laudum expertes curæ, non otia fracto
 Eripient animo vires, aut corpora solvent.
 Arma inter clypeosque, puer, reptabis, & inde
 Sæpè tibi, patriâ ludes cum parvulus aulâ,
 Majorum effigies, celebratique nomina fastis
 Monstrabit pater, & verbis hæc dulcibus addet:
 I puer, i quò te repetenter exempla tuorum
 Dura rudimenta, & paribus quoque gloria factis
 Extendenda vocant, stimulisq; potentibus urgent.
 Ille, vides? chlamyde, & pictis spectabilis armis

Additus

*I Pueri hujus tritavus Erchingerus Maximilianum
 I. Archid. Austria, postea Cesarem, in Belgium
 comitatus est, cum Mariam Burgundicam ductu-
 rus esset: ei deinde in primariis belli muneribus
 operam præstítit,*

Additus Austriadae comes est, cum divitis olim
Imperii hæredem thalami sibi fœdere junxit,
Dotales terras, seu quas Burgundia, seu quas
Læta parens frugum spatioſis finibus ambit
Belgica, legitimi pretium fortitus amoris.

- 2 Proximus ille, ingēs fama, & quæ maxima fama
Pars fuit, Augusti laudatus Cælaris ore,
Alsatiam, bello victor, populōſque feroceſ
Contudit, & domino rurſum parere coëgit.
Illum etiam Frisi, illum etiam videre Sicambri
Cæſareas ducentem acies: ſenſere ſuperbi
Terribilem; placidum vieti, pacēmque precanteſ.
3 At cui pulcra nitet cælatā in caſide laurus,
Hic tibi degeneris, dum te quoq; bella vocabunt,
Eximet horrorem leti, leto ipſe perennem
Mercatus laudem, nec famam paſſus inulti,
Dum pavidus captis trepidavit Somona ripis.
4 Huc faciles nunc verte oculos, hos aſpice vultus

Illu-

- 2 Atavus Guilielmus I sub Carolo V. Imper. rebel-
lium Alsatia, confiniūmque populcrum copiaſ
fregit, fugavitque, ac tandem in Frisia Cæſa-
reis armis, totique exercitui prefuit.
3 Abavus Guilielmus II. eidem Cæſari à Consiliū
bellicis, post multas expeditiones pro Philippo II.
ſuceptas, in prælio ad Fanum S. Quintini occum-
bens, avitam fidem in Auguſtissimam domum le-
thali vulnere conſignavit.
4 Proavus Adolphus, heros incomparabilis, sub Phi-
lippo II. Equitum Germanorum Chiliarcha mili-
tie tirocinium posuit: auſpiciis Rudolphi II. Im-
per. equitavit primū, deinde toti exercitui Cæ-
ſareo cum imperio prefectus Turcam tunc maxi-
mè infestum non ſemel repulit. Vienna Austris
tandem à Cæſare Gubernator conſtitutus, Iava-
rinum, quā veluti clavi omnia Christianorum
propugnacula pandebantur, Turcis eripuit.

Illustris proavi. Viden', ut vigor igneus olli
 Luminaque ultorem spirant ardentia Martem?
 Hic vir, hic est, qui sèpè manu furialia Thracum
 Agmina, Bistoniæque infregit cornua Lunæ,
 Per gladios, arcusque, Borysthenidumque secures
 Ferro aditum rumpens: qualis cava dividit igni
 Nubila, & horrenti percurrit lumine nimbos
 Juppiter, aut fracto violentior obice torrens
 Obvia quæque rapit. Jacet Istri ad fluminis oram
 Urbs invicta situ, & vastâ defensa palude,
 Unde minax Rhenum latè terrebat & Albim
 Odrysius. Non hoc virtus Herois & ira
 Sustinuit. Dum cuncta silent, & opaca favet nox,
 Improvisus adest, aditumque per invia noctis
 Stagna (fide majus) portas effringit, & urbe
 Vi poritur. Quid non interrita pectora cogit
 Laudum amor & patriæ? sternuntur barbara passim
 Corpora, pérque vias stragis cumulantur acervi.
 It spumans cruor, & rivis defertur in Istrum.
 Non Cæsar, non Europe sua gaudia cepit.
 At nunc post lustrata tibi decora inclyta gentis,
 Ex me disce puer, quid proles grata parenti
 Debeat, & vultus mecum venerare paternos.
 Quod tibi sum, fuit ille mihi, rectórque, patérque
 Queis ego te monitis famam sperare merendo
 Jussit, & ingentes animis assuescere curas.
 5 Illum consiliis Cæsar, subitisque probatum
 Casibus, ante alios magno dilexit amore.
 Illius & vitæ metuens, dum viscera febris
 Ureret, & tenuis medicâ spes esset in arte,

Vir

5 *Avus Adamus propter eximias animi dotes ad consilia ab Optimatibus Imperij certatim quasi tractus est, eoque in pretio fuit Ferdinando II. Imp. ut pro recuperandâ ejus valetudine votum B. Virginis fecerit, uti narrat Guiliel. Lammanni lib. 2 de Virtutibus Ferdinandi cap. 7.*

Virginis auxilium votivo pactus honore est.

Jamque adeò , dum se morbi vis fracta remisit,
Damnatus voti , votum pro sospite solvit.

O sic te Cæsar, sic te, quem nomine reddis,
Cæsare natus aiment, &, si te gloria quondam
Aut pacis studiis , aut belli casibus actum
(Qualia multa sibi poscit molimina virtus)

Impulerit laudem meritis & morte pacisci,
Incolumem cupiant, nec sint sine pondere vota !
Quid tibi nūc referam & maternæ nomina gentis,
Invictosque animos ? scit Pannonis ora, scit Ister
Virtutésque, virósque, & bella, & præmia belli.
Et dubitas quâ te generis rapit æmula virtus
Ire viâ, proavósque nepos æquare sequendo ?
Talibus atque alijs, parvo quæ plurima quondam
Et pater Æneas , & avunculus Hector Iulo
Reitulit, alta petes; proavósque imitatus & annos,
Ætatem meritis, & quos imitabere, vinces.

Hoc erat, alme puer, quod cùm te lœta recenti
Ediderat partu mater, præsaga ferebat
Uranie , & stellis tecum surgentibus æther.
Ipsa aderat, mundi signis, quibus ima reguntur,
Cæruleos intexta sinus, 7 & cincta coronis
Tempora stelliferis, queis cæli inscriperat orbes,
Obliquos, rectos, quales sibi repperit Atlas ,
Atlas supposito qui sidera vertice fulcit ,
Inde Syracosius simili labor extudit arte.
Astabant Horæ lateri, quæ lucis & umbræ
Tēpora, signorūmque obitus moderantur & ortus,
Et mundi observant faciem, quâ limina vitæ

Quis-

6 Mater puero est Iustina Maria Comes de Sta-
rembergh , è cuius familiâ multi bello , multi
primariis in Aulâ Cæsareâ muneribus clari.

7 Vranie pro coronâ sphèram datus , quam Atlas
invenisse primus dicitur , Archimedes in usu
crebriore posuisse.

Quisque subit. Neque enim stellis, si lumine puro
Per cælum rutilant, lux & vis omnibus una est.
Hæc juvat, illa nocet, primos ut quæque sub ortus
Hanc afflat pueris, aut hanc nascentibus auram.
¶ Tum cæli non una domus, non una domorum
Temperies. Quid quæque homini præstetque, ne-
gatque,

Quæ det opes adimætve datas, quæ fascibus illos
Admoveat, quæ vitæ alios traducat inertis,
Scire nefas. Tantum magnis hæc cognita Divis.
Jamque adeò Uranie tantarum conscientia rerum,
Et tibi ter dulcè arridens, tèrque oscula jungens:
Cresce puer, dixit, magnorum cura parentum,
Curaque nostra puer. Priscis angelibus illi
Eruta læpè tibi memorabunt fata tuorum;
Nos tua, quæ, dum nunc longâ dignissime vitâ
Nasceris, haud dubio licuit prædiscere calo.
Non ego vana sequar, non quæ lögævus haruspex,
Dum varium cæli morem, & natalia servat
Sidera, mentitur certis portendere signis.
Ipse animos, ipse ora mihi, vocemque resolvit,
Cui cælum, & cæli paret pulcerrimus ordo.
Ille dedit Soli radios, & cornua Lunæ,
Et quos nunc cogit, nunc Lucifer evocat ignes
Orbis affixit variis, virésque vicésque
Jussit habere suas, queis mundi temperat horas.
Illi imperio terris & frigora, & æstus
Conciliant, cursusque suos sua tempora norunt.
Illa igne occultū venis pecudūque hominūque
Insi

¶ Astrologi, ut de futurâ nati pueri conditione
judicium ferant, cælum distribuunt in partes
duodecim æquales, quas Demos vocant. Quibus
constitutis observant, qui planetæ, quæ stellæ fixæ
illustriores Domum quamque tempore nativitatis
occuparint, qui illorum inter se aspectus
fuerint.

Insinuant, unde & vires alimentaque laudum
Afflati accipiunt, animasque ad fortia durant.
Illa etiam cæcos regnis instare tumultus
Sæpè monent, cladésque, inopinaque funera
regum.

At tibi, care puer, primos sub luminis haustus
Quid non felices promittunt ætheris ignes?
Pauca tibi è multis (prohibent nam cetera Divi
Scire hominem, farique vetant) retulisse ju-
vabit,

Ut spes ipse tuas, quas produnt sidera, discas.
Principio Auroram (námque hinc præfigia vitæ
9 Prima petam: vitæ tenor est quærendus ab
ortu:

Hic Vitæ Domus est) aurato in vellere fulgens
10 Excepit venientem Aries. Ille omne magno
Te, casusque tuos, subeundaque pondera rerum
Prosequitur, stimulatque animos. Illum aspera
quondam

Trans freta vestantem pueros, auróque comantem
Spectavit Nereus, cornuque & fronte minacem
Esse suum voluit Mavors, cæloque locavit
Ter senis varium stellis, flammisque coruscum.
Nec quos ipsa tibi Virtus decernet honores,
Ambiguis notat indiciis. Illa aurea cerne
Vellera, gestamen regum, pretiumque laborum,
Quale vides humeris, puer, effulgere paternis.
Proximus huic Mavors rutilis emersus ab undis,
Sanguineumque rubens primo surgebat Eoo,

Pugna

9 Prima, qua in Oriente collocatur, Domus Vita
dicitur, sive Horoscopus.

10 Anno 1652. 22. Maij, hora 2. matutinæ, minut.
40. qui natalis pueri fuit in ipso Horoscopo, seu
initio Domus Vita existebat Aries, sidus planè
Martiale; finem autem ferè cludebat Mars pla-
netarum omnium bellicosissimus.

Pugnaces animos, & qualia Romulus ipse
 Marte satus, primisque patrem confessus ab annis
 Didita per venas sensit, tibi semina flammæ
 Subjiciens. Nec nil cælo notissimus ignis
 11 Tauri oculus, nec nil volucris talaria Persei
 Indulsero tibi. Roseo super omnia vultu
 12 Sol tecum exoriens felicia præbuit ortus
 Signa tui : tibi magnâ animâ, laudumque capacem
 Ille dedit. Luna opposito contraria fratri
 (Plenis quippe tuum lustravit cornibus ortum)
 Invidiosa tibi, sensus animumque malignis
 Obtundit radiis : tu contrâ ardentior ire
 Ne metue, & luxum, & somnos, & desidis otium
 Indignans latebras pulcro consuesce labori.
 13 Quid? quod cū varios ineat vaga sidera cursus,
 Quæque suos, quinque errores vicinia junxit
 Par propè sortitos spatium : coiisse putates
 Imperio Divum accitos, ut amica referrent
 Consilia, & placido afflarent tibi leniter igni.
 14 At parte ex aliâ, solio quâ fultus eburno
 Sedem fixit Honor, medij de culmine mundi

Com

- 11 Arieti in Horoscopo jungebantur *Oculus Tauri*,
stella notissima, & *naturâ Martialis*, ac *pes sinister Persei*.
- 12 Sol tunc quoque in eadem Domo erat paullò
 infrâ Horizontem, ingeniique præstantiam ad-
 debat, nisi quod Luna, qua tunc Soli opposita
 erat ac plena, id nonnihil impedire vide-
 batur.
- 13 Quinque è septem planetis, Sol, Mars, Saturnus,
 Venus, & Mercurius eo tempore satis sibi vicini
 erant. Quod valde notandum est, & raro admo-
 dum contingit.
- 14 Domum Honoris in meridie positam occupabat
 Jupiter, planeta humano generi maximè benevo-
 lus, & felix.

Commoda (Fortunam Cæli dixere) benignos
 Stella tibi affudit radios, aurāmque salubrem,
 Stella potens, stella ante alios clementior ignes,
 Digna love. Hæc annos, habilēq; ad prælia dextrā,
 Et dextrā potiorem animum, regūmque perennes
 Spondet amicitias, & quidquid præstita magnis
 Regibus obsequia, & longum comitatur amorem.
 15 Ne, puer, ô, ne te pueri Ganymedis honores,
 Quamquam illū fulvus rapuit Iovis armiger, urat
 Te, quod & Idæus cælo monet ales ab alto,
 Austriadū tollent Aquilæ. Te Cæsar, & ille
 16 Qui Majestatis Patriæ cetrissimus heres
 Sceptra reget, te, cui prono se vertice culti
 Submittunt Montes, & Clivi & Julia parent,
 In sublime ferent. Seu vim prohibere coacti
 Bella gerent, seu jura dabunt, qui te modò nomen
 Ferre suum, curas olim quoque ferre j. bebunt.
 17 Tū Lyra, quæ quondam Manes, infernāque cātu
 Numina detinuit, medio nunc fulget Olympo,
 Vagitūsque tuos mulcet, surgentibus addet
 Vatibus ingenium, qui te vulgandāque latè
 Facta canant. Certè ipsa suis nunc ignibus afflat,
 Qui tua carminibus celebrat cunabula, vatem.

Dixit,

15 In ipsâ hac Domo, seu prope meridiem sita erat
 stella illa fixa & illustris, quæ Aquila dicitur.
 Quod autem Aquila, quæ in decima Domo ponitur,
 superet cuspidem Domus undecimæ (habet
 enim illa 26.46. hac autem tantum 24.40.) id
 contingit propter notabilem Aquila ab Eclipti-
 cam distantiam. Quod dico, ne quis in hisce
 minus versatus errorem putet.

16 Puer nomen in Baptismo indiderunt Ferdinandus IV. Romanorum Rex, & Philippus Guilielmus Dux Neoburgicus.

17 In Domo Honoris, in ipso ferè vertice barebat
 sidus illud, quam Lyram vocant.

Dixit, & ambrosio puerum perfudit odore,
 Demulciturque manu, tenuisque recessit in auras:
 Et quasi fatidicos animo, quos Diva canebat,
 Haufisset monitus, ter vultu risit amico.
 Ad matrem puer, ad puerum lætissima mater.

A D

**LEONARDUM LESSIUM
 E SOCIETATE JESU,
 TON MAKAPITHN.**

In Opusculum ejus postumum de quinquaginta Dei nominibus.

Quod me, ingēs anima, & nostris erpta tenebris,
 Numinis & cæli plenum, & terrestriū inanem
 Abripiſ? En Divū latè diducta parescunt
 Atria: ſub pedibus nubes, & fulmina, & Euri,
 Sideraque, & celeres mundi ſeptemplicis orbes.
 At ſuprà multo formoſum lumine & auro
 Stat ſolium, & lōgē radios circum undique fundit.
 Hic ſedet, hinc rerum cauſas moderatur, & orbem
 A ſe pendente partitiſ temperat hotis
 Æternus Divū genitor. Mille agmina circum
 Aligerūm, pennis vultus atque ora tegentūm,
 Obſervant nutus, maſteſtatēmque ſedentis.
 Fortunate ſenex, cui (quantum accedere fas eſt
 Mente Deum, tardæque ſinunt contagia terræ)
 Surſum animo ferri, primāque in origine veri
 Haerere affixum penitus, dum vita manebat,
 Dulcis erat labor, & non intermiſſa voluptas.
 Fortunatus & ille, tuæ ſuprema ſenectæ
 Otia quem paſcunt, & quas mors invida chartas
 Nequidquam cæcis aufa eſt dampnare tenebris.
 Illum non Tyrij cultus, perfuſaque fuco

Clo

Gloria sollicitat, non rerum splendor, & auri
 Implacata fames, & semper major habenti.
 Spes premit immodicas, latus parvoque, suoque
 Siquid & illudens repetit fortuna, resignat,
 Securus quid Gallum acri committat Ibero,
 Quid conjuratâ prorumpens Moscus ab Arcto
 Cogitet, aut validæ Tyrrhena per æquora classes,
 Plus aliquid, quam quod magnæ vidistis Athenæ,
 Ille videt ; plus, quam Pharij vetus accola Nili,
 Et Tyros, & Babylon, & porticus alta Cleantis :
 Occasus quamquam rerum scrutatur & ortus,
 Et falsas populum voces, elementaque luxus
 Dedocet, & rigido suader consuecere honesto,
 Tecum, Lessiade, tua per vestigia tecum
 Assurgit cælum affectans, ardenteque, suumque
 Fertur in auctorem : venturaque gaudia jam tum
 Præcipiens, immensum explet tranquillus amorem.
 Qualis ubi obliquis fessas erroribus undas
 Aut Ganges pater, aut septena per ostia Nilus
 Pertulit in pelagus, jam cursum emensus in illo
 Desinit, & magno veniens se gurgite miscet.
 Hic sese tenet unda, marique potitur aperto,
 Nec brevibus spatiis, nec, ut ante, coercita ripis.
 Haud secus angustis mens indignata teneri
 Limitibus, jam se major, jam læta reperto
 Numine, se penitus penitusque effundit, & illo
 Exultans fruitur, sequre expletura quiescit.
 O & principium rerum, o & terminus idem !
 O pater ! o votis spes una atque ultima nostris !
 Da quamquam indigno, nec quidquā tale merenti
 Te lucis vitæque æternum accedere fontem.
 O bone (nämque tibi, quidquid mortale creamur,
 Vivimus, & flammæ in morem supera alta petentis,
 Ad te, quæ fas est, mediæ è caligine cuncti
 Tédimus, & patriam nostrósque inquirimus ortus)
 Da natam cælo mentem se tendere supra :
 Da secreta tuæ penetralia visere lucis

Tristibus eductam tenebris, & inertibus umbris.
 Sæpè ego Tellurem scitari, & querere multa
 Te super. Illa nihil : tantum cæloque, marique
 Abscissam ostentat molem, Boreā inter & Austrum
 Aëre pendentem medio, pecudésque, ferásque,
 Gramináque, & silvas, fecundáque frugibus arva,
 Mille tui monumenta. Tui pulcerrima nusquam
 Se prodit species, cupidóque indulget amanti.
 Sæpè ego prospiciens magnas obeuntia tetras
 Æquora, ferventesque alternis æstibus undas,
 Et spatio, & motu ingenti stupefactus aquarum:
 Quæ manus effuso, dixi, circumdedit orbem
 Æquore; litore ámque undis objecit arenam?
 Quis tot monstrorum species, immania cete,
 Et liquido ingentes posuit sub gurgite phocas,
 Quæque agili sese tollunt super æquora saltu,
 Inque chori speciem delphinum examina ludunt?
 O opifex rerum, ô mundi vitalis origo,
 Tot maria ambitas fluctu pulsantia terras,
 Æternique amnes, & stagna immensa, lacúsque,
 Quid sunt, si fas è rebus componere nostris
 Tecum aliquid, nisi gutta levís, quæ manè recenti,
 Cum rubet, & terras veniens irrorat Eous,
 Defluit? illa udo trepidans in gramine splendor
 Par nitido argento, puræque simillima gemmæ:
 Mox Sol exoriens radiis absunit & igni
 Paullatim fugientem, aut spirans dissipat Eurus.
 Vos quoque, vos, magni pars formosissima mundi,
 Altæ, immensi orbes, stellis ardentibus apti,
 Quamquam indefesso labentia sæcula cursu
 Exigitis, quamquam & menses variatis & annum,
 Alternásque hiemes, gratósque reducitis æstus,
 Et vernalis flores, & frugiferos autumnos:
 At non hoc estis, tota quod mente requiro.
 Non tantum vobis lucis, tantumque nitoris.
 Ut lychni, nostræque faces, & fumea tædæ

Lumina sideribus cedunt, ut sidera soli:
 Sic illi, qui vos radiis vestivit & auro,
 Ceditis. E tanto scintillæ absistitis igni.
 Talibus atque aliis magnum exercebat amorem
 Lessiades animo indulgens, quæ plurima quondam
 Viætutis docuit, misitque in sæcula chartis.
 Nos procul & tantæ nondum patientia lucis
 Ora attollentes cælo, rimâmq[ue] secuti
 Luminis, audemus gracili deducere versu,
 Conati tenues ingentia. Tu mihi præsens,
 Tu sublimem animū, quo terras, tēque relinquens,
 Sidereas toties sedes mortalís adibas,
 Inspira, Pater. Hæc etiam solatia nobis
 Suffice, dum patriâ procul & natalibus oris
 Hæremus, cælo extores, miserum inter amorem
 Flebilis exilij, Divumq[ue] vocantia regna.

PRÆTORI, CONSULI,
 SENATORIBUS
 URBIS BRUXELLENsis,


*Annua præmia juventuti Gymnasij Societatis
 Iesu Bruxella erogantibus 16. Septem-
 bris 1649.*

Antiquas procerum ceras titulosque tuorum,
 Et positam, Bruxella, tuis in montibus aulam,
 Invictoque Duces, æquataque nomina cælo
 Laudabunt alij. Dicent fulgentia regum
 Vellera, bellantumque animos, positisque coronis
 Insignes Carolos, & dignos stirpe Philippos.
 Me tua me teneant Tempe, gratissima Phœbo,
 Ipsa quibus domus Albuneæ, Tiburque colono
 Argeo positum, regnatique rura Phalanto
 Invideant. Vos hic, Musæ, si Græcia versis
 Nunc luget fatis, sanctumque Helicona subegit

Ferrea

Ferrea barbaries, vos h̄ic quoque lucus, & umbræ,
 Et fontes, viv̄que lacus, coll̄esque supini
 Hospitio dulci excipiunt. Nec vos minūs illis,
 Quām gelidis Pindi silvis, scatebrisque teneri
 Credibile est. Etenim choreis lustrastis & illos,
 Aurit̄asque, dæ, duxistis carmine fagos.
 Felices, quibus h̄ic veteres imitantia sedes
 Et nemora, & fontes, & roscida fontibus antra
 Aonios saltus referunt, securaque præstant
 Otia, fortunæ solatia magna prioris !
 Felices, quas & procerum dignissimus Ordo
 Muneribus magnis decorat, studiisque secundis
 Prosequitur, dum Palladiis effusa juventus
 Decurrit spatiis, celebrique in pulvere sudat.
 Victrices primis lauros, ederāsque virentes
 Ecce ferunt, stimulum pulcri pretiūmque laboris.
 Quæ spes arrestæ juvenum ! qui spiritus illos
 Versat agens ! nulli torpens ignavia vultum
 Dejicit : ignescunt animi, exultantiæque urget
 Corda vigor pulsans : jámque hi, jam protinus illi
 Ante cunctumque labor, cursusque fatigant,
 Vincit amor laudum, sperataque gloria palmæ.
 Sic, pius Æneas cineri dum sacra paterno
 Funebria exsequitur, statuitque ingentia ludis
 Præmia, Trinacriâ quondam narrantur arenâ
 Troiani juvenes arsisse cupidine laudis,
 Nisus & Euryalus primi, sanguisque Diores
 Regius, & lecti comites senioris Acestæ.
 Ardentes medio spectabant munera circo,
 Alipedem insignem phaleris, multaque pharetram
 Lucentem geminâ, galeæque insignia Graiæ.
 Signa tubæ dederant: nulla est mora: finibus omnes
 Emicuere: volant nimbo levibusque sagittis
 Ocius: adjiciunt animos clamórumque, favórumque
 Plaudentis caveæ: rapit impetus ipse volantes,
 Itc & vos laudi natæ, Phœbōrumque calentes,

D



Illustres animæ, dum flos viget integer ævi,
 Et melior fervet circum præcordia sanguis.
 Itæ alacres, quò vincendi jam nota voluptas,
 Augustæque patres urbis, sanctusque Senatus
 Sollicitant famæ captos venientis amore;
 Quò vos & dulces Musæ, & sublimia vota,
 Egregiāmque operam numquam frustratus Apollo
 Voce vocant. Altâ ostentant de rupe coronam:
 Tantum ne pigeat summa ad fastigia niti.
 Quidquid in abrupto posuerunt vertice Divi
 Excelsum dignumque peti, sudore parandum est.
 Quid non, maturis cùm venerit usus ab annis,
 Illa rudimenta, & meritarum exordia laudum
 Poscenti spondent patriæ? Quod jura tuetur,
 Quod terras urbésque regit, quod civica bella
 Comprimit, & multâ Legatos perficit arte,
 Ingenij est felicis opus. Meminisse potestis,
 Aonides, quid, cùm magnis legionibus ardens
 Anteibat ductor, mediâ i Brimæus arenâ
 Gesserit: ut magnis veniens terroribus hostem
 Perculerit, clarus famâ & præstantibus armis:
 Ut trepidas illi supplex substraverit undas
 Jam vincli patiens, jam fracto Somona cornu.
 Nil ardens animus, spectatique dextera bello
 Non poterat: sed enim tantæ pars maxima laudi
 Mens fuit. Hac justis moderatur legibus urbem,
 Hac regit innocuos, hac publica damna coërcet.
 Quis dignè memoret, quid ² Locquenghien
 Par famæ titulisque suis, magnisq; probata [posse
Præ

¹ Carolus de Erimeu, Eques, Praetor Bruxellensis, antè legionis ductor, & Corbeia Gubernator.

² Carolus de Locquenghien, Eques, Consul Bruxellensis, prius excubiarum Praefectus, cùm Gallorum & Hollandorum duo numerosissimi exercitus in Brabantiam pariter effusi Lovanium obsederunt & vicinam Bruxellam terruerunt anno 1635.

Principibus virtus? Non tantum mœnia, & arces,
 Claustraque, & ærati vectes, vigilumque fideles
 Excubiæ, quantum cultæ vis ignea mentis
 Una potest. Testor portas, & conscia magnæ
 Mœnia virtutis, quæ te videre ferentem
 Urbis onus, quæ, dum Grudiis incumbit Athenis
 Tempestas armorum, & Martius undique terror
 Circumfert sese campis, te, Carole, stantem
 Hectoreis videre animis. Quid splendida belli
 Munera, quid fidei proavum commissa tuorum
 Cæsaris arma sequar? quid, dum Farnesius altum
 Fulminat ad Scaldim, domitoque in flumine victor
 Oceanum imperio premit, infrenatque rumentem,
 Fortia facta tui memorem, famamque parentis?
 Fulmineas inter puppes, ripasque trementes
 Turbinibus flammorum, & adustas sulphure arenas
 Invictus stetit, Ætno imperterritus igni.
 Ipse pater Scaldis plausum dedit, armaque spectas,
 Vetricesque manus, excussaque vincula ripis,
 Non minus exsiliit, quam cum 3 nova flumina
 quondam
 Accepit gremio, curâ ingeniisque tuorum
 Ductum opus. Ut latus, quâ terram nuper arator
 Vomere sulcarat, longas innare carinas
 Vedit! cum circum ter centum Naiades ibant,
 Omnes pictæ auro, præcinctæ pellibus omnes.
 Exultant, amnemque novum mirantur, & amnis
 Auctorem longè agnoscunt, plausuque salutant.
 Quarum quæ cantu rapidos quoque docta morari
 Callirhoë fluctus, summâ sublimis ab undâ:
 Non te regum altrix, dixit, Bruxella tot inter
 Delicias nemorum, & formosi gaudia ruris,
 Quæ fudit Natura tuis uberrima campis,

D 2

3 Amnum novum ab urbe Bruxellensi ad Scaldim
 usque maximo patriæ commodo duxit Locquen-
 ghemij parens.

Non te pœniteat, si magni nominis amnes,
 Aut vicina tuos non pulsent æquora muros.
 Aspice diffuso spatiantem flumine Scaldim,
 Cui neque Baiani portus, Tiberinaque certent
 Ostia. Quantus aquas ferventi exercitus æstu
 In mare devolvit præceps, quantusque receptat,
 Est tuus. Ille tibi famulanti gurgite fluctus
 Advehit æquoreos, & linteal pandere ventis,
 Et miscere dedit toto commercia mundo.
 Dixerat : & virides circùm plausere sorores.
 At tibi, dux operis tanti, se publica debent
 Commoda. Te læti, dum tendent carbara, nautæ
 Carminibus patriis referent : te fama superstes,
 Dum vechet amnis aquas, ventura in sæcula mittet.
 O qui majorum famam virtutibus æquas,
 Carole, te tanti spectat quoque gloria facti.
 Téque adeò vigiles curæ nocteisque diésque
 Intentum exercent, &, dum labor utilis urbi
 Sit tuus, in partes animum tibi dividit omnes
 Ingeniosus amor patriæ. Non ulla laborum
 Te terret facies, non cœpti tædia frangunt.
 Scilicet & patrum virtus animusque redundant
 In genus, & fortes ducunt à fortibus ortum.
 Olim erit, ut viridi in ripâ proavisque, tibique
 Permistæ Musis Dryades, comitesque Napææ
 Constituant densum lauro è Parnasside lucum,
 Magnorum monumentum operum. Quod si aurea
 Belgas

Intercà Pax respiciat, ferrumque recondat,
 Et patrio tandem MARSELARE⁴ pulsus, adusque
 Immanes Thracum populos, aut ostia Ditis
 Exultet, ô quem tunc hilares pœana Camœnæ
 Vicinas circum silvas & flumina dicent !

Tum

⁴ Alludimus ad cognomen Frederici de Marselaer,
 Equitis, qui hoc anno Senator, antehac septimum
 Consul Bruxellensis, Legato à se scripto clarissimus.

HEROICORUM LIB. II. 77

Tum fasces, FREDERICE, tuos, doctosque labores,
Legatumque tuum, dignum quem scrinia Regum
Excipiant, ipsique legant, super æthera tollent.
Nec vos, ô Magni, Proceres, indicta filebunt
Nomina, quos rerum eventu prudentia major
Extulit, & magnis admovit gloria curis.
Nunc, dum vestra canunt, & grato carmine laudant
Munera, quæ teneros primæ dulcedine famæ
Irritant animos, humiles ne spernite Musas.

M A R C E L L O COMITIS TORQUATI FILIO,

*In primâ pueritiâ Legionis mille virûm pa-
trio are conscripta Præfecto.*

Nascimur, & pariter, quâ simus origine nati,
Prodimus. Est in equis, quos Mars in pulvere
verset,
Aut Elea domum victores palma reducat,
Multâ patrum virtus. Quos tellus Gnofia mittit,
Aut Sparte catulos, seu naribus utilis ille,
Seu pedibus melior, morsûque ferocior alter,
Omnia gentis habent, formâ, villôsq; colorémque,
Et vigiles flammis oculos, aurésque micantes,
Et latera, & lumbos, atque internodia crurum.
Nec qui danda Jovi curvis gerit unguibus ales
Fulmina, progenerat mollem & sine felle colubam.
Qui tibi, parve puer, vitam dedit, augeat annos;
Tum quæ nascenti magnarum semina laudum
Igneus indiderit vigor, & natalis origo,
Proferet ipsa dies. Quamquâ quid vota moramur,
Et tantum viridi laudem speramus ab ævo?
Scilicet exspectes bellando magna referre
Facta patrum, tibi venturis dum robur ab annis

Creverit, armorumque immania pondera lati
 Ferre queant humeri, aut hastam torquere lacerti.
 Quæritur ante diem nomen tibi, bellique tractas
 Non puer trahenda puer. Quid Mars tuus olim
 Victor aget, votis & spe præsumere lentum est.
 Jam tua stat campis legio : jam tessera bello
 It tua. Nondum armis palmas innectere, nondum
 Instructam stare ante aciem, stragisque ciere
 Fas tibi, & æra merent juvenes tua. Signatum mentur,
 Vellere quæ nondum potes, aut defigere campo.
 Parcite quos nondum numerat puer editus annos,
 Parcite natalem, primaque exordia lucis
 Quærere : nascentis virtus prævertitur annos.
 Dum tener Alcides, & jam Iove dignus haberi
 Cœperat, elisos manibus puerilibus angues,
 Siqua fides, pressit : nunc ardua moenia & arces
 Aut bello quatere, aut fidâ statione tueri
 Cunarum labor est, & dum Victoria Belgas
 Respicit, & cinctas pugnantibus annuit urbes,
 Illius & puerum tangit quoque gloria facti.
 Has sibi primitias legit : his ulciscitur armis
 Defectos proavum manes, quos pulcra ferentes
 Vulnera non ficto planixerunt agmina luctu :
 Hæc spolia, hæc caro cineri sollemnia mittit.

ANTONIO BIESBROECQ,
*Territorii Cortraceni summo Magistratui ab
 Actis, musicæ artis cultori, Sodalitij S.Cæ-
 cilia Præfecto creato.*

CÆciliades Musæ, seu vos pulcherrima rerum
 Roma tenet, seu vos Helicō, aut culmina Pindi;
 Sed puto Roma tenet : vobis námque ubera nutrix
 Prima dedit, cunisque rosas & lilia plenis
 Affudit calathis, & Tybrim carmine vestro

Arre

Arrectum perhibent Tyrrhena ad litora labi
 Mollius: huc, sacris dum lucent ignibus aræ,
 Huc precor, ô, si quid pietas antiqua, fidésque
 Belgarum meruit, placidos advertite vultus.
 Enredit illa dies, meritò quæ candida semper
 Illuxit nobis, & erit quæ candida semper,
 Quâ pattiæ lati votivum carmen ad aras
 Cæciliae canimus, meritosque novamus honores.
 Advocat ante alios omnem Biesbrocius artem,
 Et gratis fertur numeris, in utrumque paratus,
 Seu chordas digitis, seu vocem inflectere cantu;
 Et seu quid digitis, liquido seu moverit ore,
 Dux ubique chori est. Auditis? amabile quiddā
 Percussæ resonant citharæ: fidibusque canoris
 Concordes alij sanctum & venerabile nomen
 Virginis ingeminant. Cælo (quoniam æmula nō est
 Aut ars, aut pietas) audent alterna canentes
 Respondere, suas & Dîs subjungere voces.
 Concelebrant Divæ titulos: ut splendida gentis
 Nomina, Gracchorum ceras, sellasque curules
 Spreverit: ut tædis eadem licetisque hymenæis
 Corporis intacti florem castumque cubile
 Prætulerit: puer ut cælo delapsus ab alto
 Insigni facie, atque auro fulgentibus alis
 Sollicito astiterit vindex tutorque pudori:
 Ut sponsus (quippe ille sacro jam flumine sese
 Abluerat) pueri vultum speculatus & ora,
 Explorat mentem atque oculos: ut deinde pudicos
 Servantem thalamos, & dignos virgine mores,
 Certus amor veri, testatique sanguine virtus
 Divorum ordinibus, mediisque immiserit altris.
 Addunt & pulcrum leti genus, & fera regum
 Imperia, & lentos thermis ardentibus ignes,
 Illæsosque artus igni, frustraque fremente
 Sævitiâ, nulli collum penetrabile ferro.
 Salve invicta fide, salve virgo addita cælo,

Cælicolas inter pulcerrima, quam Deus ipse,
 Ipse suo Superum rector dignatur amore,
 In partemque vocat regni. Tibi neclere ferta
 Non operis nostri est : tibi purpureos hyacinthos,
 Permistasque rosas violas, insigne pudoris,
 Ecce ferunt cælo juvenes, & floribus illis,
 Queis sibi, virginem gaudent tibi cingere frontem.
Ad sis ô ! votisque fave, quæ plurima ad aras,
 Diva, tuas facinus. Da quicquid triste timemus,
 Funeraque, & pestes, injectaque vincula Lizæ,
¹ Impositasque arces, populos urentia frena,
 Et quodcumque mali dirarum ab sede sororum
 Mars ciet, avertat nostris cervicibus æther.
 Ante alios animumque tui, studiumque, precésque
 Respice Biesbroci, curasque & cœpta secunda.
 Sit felix, & sèpè tuis sollemnia sacris
 Dona ferat, solitumque habeat tibi moris honoré.
¹ Cùm hac scriberemus, Cortracum erat in Gallo-
 rum potestate ; qui ut urbem incolumem & tutam
 sibi præstarent, arcem eidem imposuerant, frenum,
 ut illi appellabant, Flandria.

J U S T O V A N ¹ S U R C Q
 S O C I E T A T I S J E S U ,
E Belgio in Paraquarium anno 1627.
abeunti.

P R O P E M P T I C O N .

ERgone litoribus certus discedere nostris
 Vela dabis : solisque aliqui, aliisque requires
 Suppositos stellis populos : quæque omnibus undis
 Litora nequidquam nostro Thetis abscidit orbi,
 Hæc te defessum accipient ? Quando hanc tibi
 mentem
¹ Nunc mutato cognomine Mansilla appellatur. Non

Non amor exuerit patriæ, fratrūmque & tuorum
 Circumfusa manus, non cœli hiemisque labores,
 Non mare, non scopuli, non gens scopulisque ma-
 Sevior, atque tuos epulis feralibus artus [rīque
 Foisitan appositura, tuique implenda cruxis,
 Juste vale, vale Americis spes addita regnis
 Nunc desiderium Belgarum, & maxima gentis
 Cura tuæ. Sit fas collo pendere supremum,
 Sit fas complexu in medio miscere fluentes
 Amborum lacrymas, & amorem explere vovendo,
 Ingentisque haurire animos, qui me quoque terris
 Avellant patriis, rapiantque per omnia tecum,
 Hærentem assiduè lateri, sociūmque tuorum
 Præconémque operū. Siquid mēa carmina possunt,
 Forsitan & pelagi fallam discrimina cantu,
 Solabórque viam, & portum sperare jubabo.
 Atque utinam & ventos, & ventis aspera sternam
 Äquora. Sic olim, rudibus cùm Thessala pinus
 Prima cucurrit aquis, vatem testudine fretum
 Threïciâ Äsonides Neptuno dicere leges
 Audiit, & cantu Zephyros accire secundos.
 Jamque iter emensus, factisque in litore votis,
 Tecum unā in silvis, per inhospita lustra ferarum
 Palantes populos, legumque operūmque solutos,
 Tristibus eliciam latebris. Densa undique cogam
 Agmina, ceu cœcis armenta errantia lustris
 In vacuos saltus, & amœnas gramine ripas
 Præ se pastor agit. Sine me tibi nulla laboris
 Pars veniet subeunda: tuum, cœlestia genti
 Pandere consilia, & vitas formare docendo:
 Fas mihi sinceros animi, & parere paratos
 Excipere, & capiti sacros invergere rores.
 Inde ego (si vestris olim requievimus antris

D 5

2 Quod omnino rarum, septem fratres Societati IESU
 nomen dederunt, è quibus hic, cui carmen hoc
 scripsimus, natu erat tertius.

Aonides, castâ dignati tempora lauro)
 Indorum procùl in saltus , nullisque priorum
 Carminibus pulsos colles Parnassia primus
 Sacra feram : primus Brasiliis, Chiliisque virent
 Prætendam lauros , silvisque sequentibus aures,
 Et sensus addam scopulis. Pars feta veneno
 Gramina, pars sæuos arcus, telisque pharetram
 Letiferis gravidam citharae submittere nostræ
 Sponte volet. Tum quæ ripis Argenteus amnis
 Obstrepit , & dulces invitat murmure Musas,
 Conventu in magno, quæ tu mihi plurima rerum
 Argumenta dabis , meditato dicere versu
 Instituam. O tantum liceat mihi barbara tecum
 Regna sequi, Paranâque sitim deponere in undâ
 Nec , si nunc Belgæ tua vela & vota morati
 Multa dolent , lacrymisque abeuntem affantur
 Parva sui capient olim solatia luctus. [oborti
 Scilicet & nostris etiam memoranda libellis
 Facta legent : ut te populi magno ore tonantem
 Audierint arresti : ut cæcâ in nocte jacentes
 Sidereum in lucem revocaveris : ut nova rebus
 Continuò facies, quo spes te cumque tulisset,
 Venerit : ut legum ruditis, & sine numine turba
 Partiri campos, tabulis incidere leges ,
 Publica privatis secernere, dicere jura
 Cœperit, & laudi pretium dare. Non ego templo
 Transferim , populi donis & numine Divum
 Conspicua, exciso statues quæ denique luco.
 His super exhaustos casus , discriminâ mille
 Adjiciam, dum sæpè alacer, latisque laborum
 Irruis hædubiam in mortem , nil sæva moratur
 Spicula, nil totis adductos viribus areus.
 Fixissentque utinam, tepefactaque tela cruento
 Hæsisserent lateri, quando hic tibi pectoris ardor
 Unus erat, mediis ea vox audita periclis.
 Adjiciam, ut viatum indignum, & semesa paratum

Corpora, natorum mensis abstraxeris, attram,
 Ingluviem increpitans, & fœda cruxibus ora.
 Heu qui jejunis venit furor! æthere toto
 Bacchantum audit fremitus. Non pessima tigris
 Sævior Hyrcanos saltus orbata peragrat,
 Ereptosque fremit catulos. Non Maius agnam
 Cum rapuit stabulo lupus, & vestigia pastor
 Balatu excitus celerat, prædámque trementem
 Façibus avellit vacuis, majoribus ardet
 Suffusus flammis oculos: furit improbus irâ
 (Urit enim delusa famæ) inceſtumque per agros
 Exululat: latè resonat vox horrida luco.
 Talibus atque aliis dum nobis maxima crescat
 Historia, & famâ attonitis celebrabere Belgis,
 His ego quos valido quæsitos Marte triumphos,
 Quæ spolia auratis regum pendentia rectis
 Contulerim? Minus est dominæ Capitolia Romæ
 Auspiciis fundasse suis: minus arcibus illis
 Terrarum posuisse caput. Quas condidit urbes,
 Hic belli celebret studiis, ille artibus ornet
 Palladiis, legesque viris ac jura ministret:
 Tu natos silvis populos, rituque ferarum
 Indociles, & adhuc duros à semine Pyrrhæ
 Instituens hortare, viamque insiste domandi.

Dum loquimur, te vela vocant, & Poscimus, in-
 Libera non ultrâ est nobis mora: cara valete quis.
 Pectora. Vos pro me Superos ambi te precando,
 Inque vicem culpis veniam date. Jungere dextras,
 Spero equidé, neq; vana fides, rursum æthere in alto
 Fas erit, & primâ memorare ab origine longos
 Annales operum. Sic fante, extremaque verba
 Dulcibus impletum lacrymis vocat Eurus in altū.
 Diripitur funis: tenduntur caibasa vento:
 Provehitur: sequimur votis oculisque carinam,
 Jaçtataque manu, quando unum hoc denique restat,
 Edere signa juvat, donec non jam amplius ulla

Apparet classis, summōque exstantia malo
Cæruleos inter vanescunt lintea fluctus.

At non cum puppi pariter velisque recedet
Cura tui: non & longum terræve, marisve,
Aut ævi spatium nostros abjunget amores.
Interea ipse anima: magnâ mihi parte revulsâ,
Nec facilis vates æquè, nec jam mihi præsens
Integer, aut facilem superos exposcere cursum,
Aut narrare meos vento bacchante timores
Audiar, ad Scaldim vacuo projectus in antro.
Hic curas solabor, & hic tibi debita vota
Unanimes mecum affluescent percurrere vates.

J U S T O V A N S U R C Q S O C I E T A T I S J E S U , *E Belgio in Occidentis Indiam vela facienti.*

I D Y L L I O N .

A M Y N T A S .

SOlverat, & velis ibat majoribus alnus,
Atque ipsum Oceani ad finē, Solisque cadentis
Litora per longos fluctus vectabat Amyntam,
Dilectum Superis, & plenum numine Amyntam.
Cùm puer infelix Lycidas abeuntia longè
Carbasa per lacrymas spectans, scopulōque residens
Litoreo, crebris implevit litora votis.
Quippe animo secum reputans, quos unda timores,
Quos habet & Boreas: quid & illa per æquoris æst,
Infanāque hiemes veheret ratis. Heu, quibus ille
Incendit cælum precibus ! quæ vota canebat
Suspendenda tholis, staret modò litore puppis
Occiduo ! Quid non puppi speravit ab illâ !
Ipse ego quæ puerum audivi sub rupe canentem,
Si valeam, memorabo; & erit memorare voluptas.

Non

Non frustrà rapidos mulcemus carmine ventos.
 Carmine ventorum cecidit fragor, & freta ventis
 Excita detumuere. Lyrà vocalis Arion
 æquora composuit, delphino auditus, & undis.
 Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.

Carminibus, fateor, non hæc fiducia nostris.
 Lesbidos hoc citharæ pretium. Sed lusimus & nos
 Olim aliquid. Certè patrius me Liza canentem
 Audiit, & musam tenuis laudavit aenæ.
 Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.
 Fallor? an hanc geminus placido jubet æquore
 Pollux

Ire ratem? Puppi sedet, antennisque piorum,
 Præcipue i fratum: fratres ante omnia curæ:
 Fratribus aspirat vultu, cæloque sereno.

Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.
 En procùl à patriâ septem de fratribus unum
 Vela ferunt: mœstos orbis nunc alter & alter
 Dividit, & dulci aspectu & complexibus acer,
 Omnes Loiolidas, claris virtutibus omnes.

Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.
 Indus squaler ager, primisque in palmite gemmis
 Illudunt pecudes: tangat modò litus Amyntas,
 Exuerit silvestrem animum mitissima tellus,
 Et vinum positis & far libabitur aris.

Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.
 Quis terris messem invideat? quis montibus um-
 bras,

Pastorem stabulis? at si navim æquora perdunt,
 Nec terris messes venient, nec montibus umbræ,
 Et male servatos raptor lupus ibit in agnos.

Mitiùs ô velis incumbite mitiùs Euri.
 Dulce sopor fessis, medicæ languentibus herbæ,
 Pax fractis bello populis; mihi salva carina.
 Plus aliquid medicis ad litora devehit herb's,

Plus

¹ Vide superioris carminis notam 2.

Plus aliquid, quam quod somnos, pacemque reducat.

Mitius o velis incumbite mitius Euri.

Hei mihi! lenta natat, qua noctes solibus aequaliter
Linea, stagnanti pelago ratis. Aestus eunt
Destituit: nullo tenduntur lintea vento,
Stagnaque nequidquam pulsant torpenta remi.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Sol ardet: nullae frangunt incendia nubes,
Et tremulum geminat Solis jubar Amphitrite.
Ah, nequid caro capiti grave fidus, & ignes
Officiant! ipsi languent Tritones in undis.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Nerine Galatea, (tibi namque omnia magnus
Posse dedit genitor) cunctantem impelle carinam.
Candida Cymothoe cum caruleo comitatu
Huc ades, & facili pariter succede labori.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Si tibi quid nostri placeat, sunt vellera nobis
Appula, sunt & tubra corallia, pignora mater
Quae mihi cara sui moriens dedit, haec ego vobis:
Et leve si munus, pretium quoq; carmine cresceri.

Forrius o velis incumbite forrius Euri.

Vos quoq; formosae praetexite puppibus umbram
Halcyones. Savos mandat defendere soles
Cara Thetis. Sic vos Nymphae Oceanitides omnes
Semper ament, veteresque levant Ceycis amores.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Anchietæ (meministis enim) cum haec ipsa per alta
Iret, & ardenti remum lentaret in unda,
Frigora conciliaitis: & hic erit alter ab illo,
Atque iterum insignem mirabitur India vatem.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Quos nunc ille ignes nutrit sub pectore! quantam
Romanis sobolem, quantam promittit Olympo!
Forsitan & ipse suo, quæ tradet, sacra cruento

Sanciet. Hunc sperat finem pretiumque laborum.

Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Hactenus umbroso scopuli pendentis in antro

Cantabat Lycidas. Lycidae cava litora, & ipse

Respondit Nereus, vectamque per aquora classem

Impulit, & p'eno jussit procedere velo.

Tuque adeò, seu nunc pelago decurris Amynta,

Seu te nunc aliquis fessum pelagique viæque

Portus habet, seu nunc, iterum dum litore solvis,

Mitius ut spirent opus est, aut fortius Euri,

I felix, i noster amor, quò te tua virtus,

Risque vocat. Quæ te tellus, quæ te aquora tandem

Accipient, quo scumque polo conspexeris ignes,

A cælo nusquam vertes iter. Omnibus oris

Una patensq; via est. Non hinc, non longius illinc

Sidera, quæ quondam dabitur contingere, distant.

BALDUINO LE COCQ, WULVERGHEMIJ, HUMBECÆ, SCHILTHOVIAE TOPARCHÆ, &c.

FELICITATEM.

Cum Archiepiscopi Mechliniensis, & Collegii
Canonicorum beneficentiâ è reliquiis S. Ru-
moldi pars Humbecam transferretur
anno 1650. 24. Julii.

Non est, Vir Nobilissime, ab hac qualiscumque
pompa tua celebritate alienum, aut è longin-
quo accersitum votum hoc meum, quo te domi foris-
que beatum, fortunatumque esse cupio. Si enim
grande illud Hebrae gentis arcanum, in quo tabu-
la divinis legibus inscripta servabantur, hoc ha-
bebat, ut quocumque religiosè inferretur, felicita-

tem

tem quoque bonis omnibus circumfluentem inferret,
egone spes meas aut inanes, aut intempestivas esse
existimem, cum te S. Rumoldi reliquias in Aedem
Humbecanam religiosissime inferentem video? Erat,
fateor, erat illud monumentum, quo nullum inter
Mosaica sacra exstabat augustius, sapientia oracu-
lum, sanctitatis sedes, solium divinitatis: verum si
ille, cuius ha sunt exuviae, dum viveret, legum
divinarum custos, si veritatis internuntius, si san-
ctimonie exemplar fuit, si ubique benevolentissima
charitatis reliquit impressa vestigia; nunc e pleno
beatitudinis loco, de illo defendendo ornandoque non
cogitet, quem non modò sibi supplicem habet, sed
etiam cinerum suorum custodem, & gloria propagan-
torem sua? Neque vero huic pompa tua Sadochus
suus defuit, genere, & auctoritate, & sacerdotio
nobilis, quando sacra illa pignora supplicantis ritu
circumtulit Ioannes V Vachtendonchus, i vir & am-
plissimis, quos nunc gerit, & majoribus, quibus
fungetur, honoribus longè dignissimus: quibus ego
nunc, cum iam dudum virtuti tanta, prudentiaque
debeantur, quasi presentibus & lator, & fruor.
Illud fortassis cuiquam videatur, in quo cum lessai
Regis pompā comparari non possit tua, quod sacrum
illud Iudaica religionis & imperii pignus sub ho-
minis unius privati custodiā detentum, in locum
multò celebriorem, Sionis arcem, ac regni sedem,
apparatu sumptuque regio deferretur: hoc vero felici-
tatis tua pignus ex augustissimo templo in angu-
stum de scenderit. Verum nihil hic ego excuso. Fue-
rit illa quondam Evandri pastoritii regis, ac planè
pasto

ⁱ Erat is, cum hæc à me totidem verbis primum
scripta editaque sunt, Mechliniæ Ecclesiæ Me-
tropolitanæ Präpositus, & supremæ Curiæ Con-
siliarius; nunc Episcopus Namurcensis.

pauperis oratio , quâ Heroëm advenam humili acceptum hospitio ad opes contemendas hortabatur, quorum scilicet in illâ exulantis Arcadis simplicitate splendorem nullum esset conspecturus. Nobis certè modicus tenuisque cultus excusandus non est apud Calites , qui opibus pretium nullum umquam fecerunt. Quare hac tam benè ominata pietatis initia latè tibi ac feliciter evenire iterum iterumque jubeo. Quamquam quid ego tam angustis limitibus S. Rumoldi beneficentiam circumscribo ? Faciet , spero, Deus immortalis, ut luctuosissimis hisce temporibus, dum undique velut in communi incendio auxilia quarimus , illius patrocinium hac etiam sacrorum procuratione imploratum contulisse aliquid gratulemur ad extinguenda funestissima bella , quibus Belgiam tot jam annis ardentem frustrâ miseramur. Magnum aliquid spe præsumere nos illud jubet, quod sacrorum ejus ossium huc translatorum annum primum signare jam liceat nobilissimis victoriis , certissimisque pacis auguriis , quæ Serenissimus Princeps Leopoldus dedit , fixis ad OESiam Axonamque triumphalibus signis. In partem illius gloriae S. Rumoldum venire , is dubitare demum poterit , qui illum patriæ nostra , cuius patronus ac tutor est , nec videre vulnera , nec calamitates miserari , nec supplices querimonias audire , adeoque nec belli pacisque consiliis præsidere , nec justissima causa consulere existimaverit. Quare dum mecum ipse cogito, Nobilissime Domine , quanta publici privatique boni spes in illo resideat , effert sese atque diffundit latitudinem animus , gestisque jam nunc eorum omnium , qui illum in Aede Humbecanâ publicè privatimque sibi beneficium sentient , interpretem agere , ac supplicationes , gratias , tabellas , donaria celebrare memorando. Qua verò ad cohonestanda pietatis tua & prima

sollem

*sollemnia nunc Musæ nostræ adferunt, et si aris di-
cata esse velim: tamen non abs re esse censui, eadem
tibi quoque inscribere, & privatam observantia er-
gate mea testificationem cum publicâ religione con-
jungere.*

RUMOLDUS, IDYLLION.

SI potes haç mecum requiescere, Daphni, sub
umbrâ,
Quà tua rura i novus prælabitur amnis, & ecce
Vicino invitat succedere ripa salicto, [est,
Huc ades: &, si quid nostrum tibi dulce, piúme
Accipe quæ cecini, dum pagum & compita circum
Sollemnis pompæ longus procederet ordo.
Ipse suos proprius spectans. Rumoldus honores,
Se mihi materiam dederat, paritéque canenti
Fecerat ingenium, lætósque afflaverat ignes.
Illum etiam ripæ, illum etiam fontésque, lacúsque
Et nemora, & totis resonabat vallibus Echo.
Arduus illum etiam dignantem rure morari
Affiduis pulsus referebat cantibus æther.
Dumq; omnes hic ardor habet, sic cœpimus ipsi.
Ergò erit ut res hîc inopes, humiliisque myrtæ
Aspicias, Rumolde? ergò tibi sacra placebunt
Nostra, nec agrestem, Pater, aspernabere cultum.
Non, ut te digna est, nitidis hîc alta columnis
Stat moles: tantum scabris riget aspera tophis.
Non Indum rudibus, tibi quas ereximus, aris
Candet ebur: non texta nitent Babylonia muris,
Non statuæ, tabulæque: lapis sunt omnia nudus.
Exuviisque tuis poterunt haç templa videri
Pulcra satis? Ne rem tenuem, ne munera sperne,

Quæ

1 Humbeca ad novum annum Bruxellensem sita.

Quæ ferimus. Sunt illa quidem , sunt rustica, nec
te

Quæ deceant. Non est adeò , sit cetera simplex ,
Paupertas ignara sui. Sed si tibi laudis
Materiem fors nostra dabit , quælo , utere magni
More Dei , qui nec spicas , nec pauperis horti
Contemnit flores , nec parvi turis honorem.
Pro myrræ lacrymis , pro nardi mollis aristâ
Silvestrem ferimus mentham , casiamque , thy-
mumque ,

Et quodcumque viret nostris redolētque myricis.
Ipse tibi nostro solvam de rure coronam ,
Primitias frugum : nostris ab ovilibus agnum ,
Cum fetura gregis numerum suppleverit , addam.
Proxima nos sumtu vincant opibusque profusis
Mœnia , & argento solidam , signisque rigentem
Ostentent i urnam , cinerum monumenta tuorum ;
Non si divitiis , etiam cedemus amore.

Eheu ! quid voluit , vel quo se nomine jaetat
Rustica simplicitas ? an parvæ culmina villæ
Turribus & augustis , spatio quas dissita longo
Oppida prospiciunt , an rara mapalia magnis
Urbibus , & stipulas ausit componere gemmis ?
Parcite sublimes pastori , parcite turres .

Sæpè ego vos , salices nobis , & pascua testes ,
Admiror cælo eductas , formaque superbas.
Sæpè etiam hinc oculos vicina ad mœnia vertens ,
Et sacram templi molem veneratus , & ipsum
Qui dedit huic nomen : Serva , Pater Optime , dixi ,
Me , patriosq; greges : & , si modò justa precamur ,
Deferat aura preces ad te non invida nostras.

Sæpè

¹ Habet Mechliniense templum primarium S. Ru-
moldo sacrum , urnam ex argento magna artis ac
pretii , in quâ reliquias ejus servat ;

² Turrim itidem è secto lapide mole & structurâ spe-
cabilem.

Sæpè etiam præsens , & ruri missus in urbem
 Suspexi augustis opulenta altaria donis ,
 Craterasque graves auro , cælataque in auro
 Divorum simulacra , cruces , & pallia , & urnas ,
 Ingens argentum , atque operum artificumque la-
 borem .

(Divum,

Sed non hæc decorum summa est . Vos pignora
 Vos auro inclusi Cineres , arisque receptæ
 Exuvia famam templo datis . Has quoque si nunc
 Servamus nostris , quamvis sint rustica , templis ,
 Parcite sublimes pastori , parcite turre ,
 Non si divitiis , etiam cedemus amore .

Quid tum , si sacros cineres atque ossa saligno
 Servamus loculo ? quid tum , si bractea tantum
 Obducta est tabulis ? Num prisci temporis annis ,
 Dum populus pauper , dum stabat Divus in æde
 Ligneus exigua , demique ex arbore rami ,
 Et quos seu Lycidas aliquis , seu Thestylis horto
 Attulerat flores , templis arisque paratus
 Non spernendus erat , num plebs minus , araque
 simplex

Cælitibus placuere ? Illi non aurea curant
 Munera , sed , qui muneribus se prodit , amorem
 Absit amor , perfecta auro cælataque tanti
 Urna valet , quanti calathus contextus hibisco .
 Parcite sublimes pastori , parcite turre ,
 Non si divitiis , etiam cedemus amore .

Si quondam magnos , & ab extremis Nabathæis
 Excitos Reges , tuguri sub pauperis antro ,
 Divino Puer donis placuisse Sabæis
 Credimus : at non & simplex quæ turba ferebat ,
 Seu sinum lactis , seu condita subere mella ,
 Aut agnam stabulis , aut raptos corte palumbos
 Despexit Puer , & Pueri dulcissima Mater .
 Sunt & opes animo : nec , si silvestria sordent
 Munera , mens etiam sordet , divæisque voluntas .

Hæc

Hæc auro potior. Certè pastoribus illum
 Fortuitâ effultum stipulâ, calamóque paluſtri
 Fas primùm vidisse fuit. Fas & fuit illis
 Reges ante ipsos divinis figere plantis
 Oscula, speluncæque fores intendere fertis.
 Talibus exemplis quòd si, Rumolde, licebit
 Pauperibus de te quidquam sperare colonis,
 Te quoque res nostræ capient, & rustica dona,
 Et quæcunque tuis humiles sollemnia sacris
 Pastores referemus. Amarunt rus quoque Divi.
 O Pater, ô quem te nostris modò finibus infers!
 Ecquis iò mecum, pueri, quæ munera cælo
 Plurima provenient, junctis celebrabit aenis?
 Credite: majores posthac teret area messes,
 Lanâque candidior pascentes vestiet agnos.
 Sis felix Humbeca. Tuis non tristis arator
 Infindet sulcos, aut credet semina glebis.
 Non lætæ campis segetes, solésque benigni,
 Non rores puri deerunt. Spem provehet anni,
 Qui cælo veniens fruges lustrabit & agros.
 Cum sitient herbæ, cum Sol aut Sirius illas
 Usterit, edicet Zephyris, edicet & Austris,
 Solentur terram pluviis, & mitibus auris.
 Interdum Æoliis Austros quoq; claudet in antris,
 Et quæ nigrantes inducunt flamina nimbos.
 Tu quoque, magna Palæ, mirabere sæpè juvencas,
 Balantûmque greges, sive ad præsepio stabunt
 Jam saturi, & niveo implebunt mulætralia læte,
 Seu virides latè saltus, atque arbuta pascent.
 Non illos turpis scabies, non tetra venenis
 Pabula, corruptique lacus, aut frigora lædent,
 Mollibus albentes villis, habilésque ferendo.
 Hæc ego pro gregibus; pro frugibus illa coloni
 Poscite. Poscentes cælo miseratus ab alto
 Audier, & nostras vultum convertet ad aras,
 Qui modò parte sui nostris est additus aris.

Forsan

94 JAC. VVALLIJ HEROIC. LIB. II.

Forsan & arma brevī (quid non sperare jubemur)
 Ducent scabra situm , ferrique erit aptior usus ,
 Cūm gravibus rastris , curvōque nitescet aratro ,
 Martiāque in duros vertentur pila ligones .
 Jam fessis bello populis Leopoldus olivam
 Ostentat , venturæ ardens occurrere Paci .
 Jam cessit nobis , ut narrant , Axona , & alter
 Proximus ille quis est ? Gallorum in finibus amnis ,
 Forsan & ipse sacras cui primūm ponimus aras ,
 Conciliantis ager partes , pacique favebit ,
 Fortunam & lacrymas inopum solatus agrestūm .
 Tunc tibi crescit honor , tunc & te divitis agri
 Custodem , Rumolde , novas de marmore factas
 Expectare velim meritis pro talibus aras .
 Nunc cinerum loculus pro tempore ligneus : at
 cūm

Aurea Pax terras respexerit , aureus esto .

Talia cantabam : cantanti conscius æther
 Annuit , & cælo visus dare signa sereno .



JACO

JACOBI
WALLIJ
E SOCIETATE IESU
HEROICORUM
LIBER SINGULARIS.
PARAPHRASES
HORATIANÆ.

1800
1801
1802
1803
1804
1805
1806
1807
1808
1809
1810
1811
1812
1813
1814
1815
1816
1817
1818
1819
1820
1821
1822
1823
1824
1825
1826
1827
1828
1829
1830
1831
1832
1833
1834
1835
1836
1837
1838
1839
1840
1841
1842
1843
1844
1845
1846
1847
1848
1849
1850
1851
1852
1853
1854
1855
1856
1857
1858
1859
1860
1861
1862
1863
1864
1865
1866
1867
1868
1869
1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900

ILLUSTRISSIMO AC REVEREN-
DISSIMO DOMINO
ANDREÆ MANGELLO,
 ABBATI S. ANGELI,
 S.D.N. INNOCENTII X.
 DE INDE
 S. D. N. ALEXANDRI VII.
 APUD BELGAS
 INTERNUNTIO.

Magnâ ingeniorum ubertate & gloriâ, Illusterrime ac Reverendissime Domine, floruerit necesse est vetus Italia, ex quo presertim Græcorum artes ac disciplinas ad se unâ cum imperio trans tulit. Testes sunt eruditionis reliquiae, quas temporum injuriis aut fortuna, aut posteriorum cura, aut potius, ut haberet orbis quo se ad elegantiam informaret, Numinis providentia subduxit. Quid enim tot consequentibus saeculis tantâ studiorum contentione perfectum & elaboratum est, quod cum iis judicii

moderatione , & scribendi genio exa-
quari possit ? Non consenuit quidem na-
tura , neque ut ager assidue ferendo , si-
illa quotidiano animorum cultu defessa
vim vigorēmque suum exhaust : quam-
vis ut annus alter altero subinde secun-
dior provenit ; ita , dum inter se confe-
runtur saecula , doctrinæ secunditatem
quædam veluti sterilitas nonnumquam
excipit . Sed hoc inertiae expensum fer-
re quisque debet , nemo naturæ . Haec
enim vegeta semper ac vivida cælestes
illos orbes , iisque affixos ignes imita-
tur , de quorum luce atque splendore ,
occultaque vi , quâ se in corpora nostra
insinuant , nihil incitatæ æternæque
conversiones , nihil temporum vicissitu-
dines deterunt . Hoc tamen in re est ,
tam admirabilem esse veterum in effi-
gendifis rebus suis felicitatem , ut quid
quid ab iis limatum ac perpolitum ac-
cepimus , velut à naturâ ipsâ elabora-
tum exemplar , aut Polycleteus Canon
merito habeatur . Ingeniosissimus quis-

que

que quantumvis ad similitudinem eorum proprius accedere laboret , eam tamen penitus exprimere desperet. Non id , credo , si viveret , de se dici vellet Michaël Angelus , Aretinus , pictor ac statuarius ævi sui primus. Cupidinis dormientis simulacrum à se perfectum eo loco defoderat , quo eruendum sciebat : repertum cùm laudari , pro antiquo haberí , novis anteponi , sibi etiam ostendi , suisque rebus potius duci videbat , audivit omnia , & risit ; & sibi se preferri ac simul posthaberi gavisus , non men tandem suum signo insculptum ostendit , triumphavitque quasi judicium suorum jam datis sententiis secundum se pronuntiatum esset de exæquatâ veterum arte atque famâ. Non ego is sum , qui celeberrimum artificem de aditâ hujus gloriae possessione dejiciendum putem. Néque , ut de re nostrâ loquar , Jacobum Sadoletum , virum poëticis aliisque sapientiæ studiis & quæ ac purpurâ illustrem , de affectatâ veterum lau-

de arguerim, quem refert Lilius Gyral-
dus ingeniosa epigrammata scribere so-
litum, quæ tamquam è Romanis ruinis
eruta Ferrariam ab amicis ad se mitti
commiscebatur: idque cum aliis, tum
viris etiam literatissimis persuadebat.
Malignitatis humanae vitio fit, cùm,
ut ait Velleius, præsentia invidiâ, præ-
terita veneratione prosequimur, & his
nos instrui, illis obrui credimus. Meum
hoc semper judicium fuit, favere unum-
quemque alieno sæculo sic oportere, ut,
si causa fuerit, haud paullò jucundius
effusiusque gratulari debeat suo. Verum
cùm Poësin Augusti estate in fastigio
stantem intueor, atque hic incompara-
bilem & nullâ affectatione sese efferen-
tem majestatem, illic simplicitatem
cultam, facilem, suavem contempler,
cùm utrobique & linguae delicias, &
sententiarum gravitatem, & decorum
illud, cuius ignoratione non modò in
vitâ, sed etiam in oratione peccatur, ob-
servo; judicii inopiâ fieri arbitror, cùm

extra

PROSOPHONETICA. 101


extra angustos hujus saeculi, & nondum
planè decursi limites (adèò difficile est
in perfecto diu consistere) paria querun-
tur. Injuriâ igitur pigri & servilis in-
genii nota iis inuritur, qui ad paucorum
illorum, qui tum scripserunt, vir-
tutes se totos imitando nituntur fingere.
Nos optimis similes natura præstare non
potest; potest optimorum imitatio. Hac
ego mente Horatium in manus interdum
sumsi, & Odas præsertim illas, quæ
quod magnifico dicendi genere structæ
essent, heroicis numeris aptari posse vi-
debantur, aliter atque aliter efferre
studui. Quamquam me cum politissimo
poëtâ committerem: cogitabam tamen
vinci indecorum non esse, & contende-
re gloriosum. His exercitationibus cùm
profecisse me fatear, earum aliquas ti-
bi, Illustrissime Domine, dicatas esse
consulto volui. Italiam, Italiam, non,
ut ille, imperii sedem fataliter suis
datam, sed ut bonarum artium matrem
ac principem, & ingeniiorum altricem

*absens absentem, & quâ solâ licet,
mente conspectam subinde veneror, ac
saluto. Ac tum mihi occurrere videntur
ingentes illæ excelsaque veterum Poë-
tarum animæ, quæ ingenio suo & im-
mortalibus monumentis Romanum no-
men altius, quam alii Marte & manu
extulerunt. Huic sublime & magnificum,
illi tenue & volubile scribendi genus
gratulor: in alio nativum simplicem-
que admiror candorem; in altero erudi-
tionem conquisitam & variam, Graeco-
rum etiam pigmentis illustratam: ille
me, quod naturæ plus indulserit, hic
quod diligentia plus attulerit, dele-
ctat & pascit. Ab Italiâ igitur cum in
reliquum orbem profluxerit, quidquid
ornamentorum ac deliciarum habet Poë-
sis, ut hoc, quantulumcumque est, quod
ab illâ hausi, illi acceptum retulisse vi-
dear, tibi, qui Italiae tuae decuses, in-
scribo. Accedit nominis tui fama, que
nuper Hispaniam, nunc Belgium erudi-
tionis, aequitatis, prudentiae, cetera-*

rûm-

rūmque virtutum tuarum admiratione complevit. Magna negotia magnis adjutoribus egent : eaque magnum profecto te probarunt, cùm oppressa malis artibus veritas fuit vindicanda, Pontificiorum edictorum stabilienda auctoritas, hominum publicis privatisque calumniis eadem arrodentium contundenda protervitas. Si, ut inquit Historicus, quem antè laudavi, Reipubl. interest, quod usū necessarium, dignitate eminere, crediderim Aram Virtuti Reduci, non Fortunæ, parari, quæ te è Belgio aliquando revertentem suis ipsa manibus ad ea quæ sunt eminentissima communis omnium assensu & gratulatione deducat. Muse vero mea quamquam patrios intra fines benevolè excipi, pro magno habituræ sint : si tamen aliquando longius provehantur, si Italianam, si Romanam denique viderint, timide quidem in illâ terrarum arce, & eruditorum comitio apparebunt ; magnam autem illistimoris partem, si tibi placuerint, tuus favor exemerit.

GRA-



GRAVISSIMORUM VIRORUM
**DE PARAPHRASI
 JUDICIA.**

AD ILLUSTRES, NOBILES, IN-
 GENUOS ADOLESCENTES
**CONVICTUS
 SOCIETATIS JESU
 ANTUERPIÆ.**

Quintilianus Instit. Orat. lib. 10. cap. 5.

Non ego Paraphrasin esse interpretationem tan-
 tum volo, sed circa eosdem sensus certamen at-
 que emulationem. Ideoq; ab illis dissentio, qui ver-
 tere Orationes Latinas vetant, quia optimis occu-
 patis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse de-
 terius. Nam neque semper est desperandum, aliquid
 illis qua dicta sunt, melius posse reperiri: neque a-
 deò jejunam ac pauperein natura eloquentiam fecit,
 ut unâ de re benè dici nisi semel non possit. Nisi for-
 tè histrionum multa circa voces easdem variare ge-
 fñs potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid,
 post quod in eâdem materiâ nihil dicendum sit. Sed
 esto, neque melius quod invenimus sit, neque par-
 est certè proximis locus. An verò ipsi non bis
 ac sapienter de eâdem re dicimus, & quidem con-
 tinuas nonnumquam sententias? Nisi forte
 contendere nobiscum possumus, cum aliis non

possimus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari praelusam nobis à prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimaq; eadem via ducunt. Sua brevitati gratia, sua copia alia translati virtus, alia propriis. Hoc oratio nostra, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid, quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur. Non enim scripta, lectione securâ transcurrimus: sed tractamus singula, & necessario introspicimus: & quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus.

Manutius lib. 1. epist. 4.

Cum id, quod enitet in oratione, aut in re videatur esse, aut in verbis, ego olim rem significatam simul cum verbis significantibus sumebam, eaque meis scriptis cùm inseruisssem, tum optimum illud, quod quaritur imitando, planè arbitrabar me esse consecutum. Postea cœpit mihi meum consilium displicere: cogitavi, quoniam id esset memoria magis, quam ingenii, quod ego efficerem, praestare multos posse; quod autem multi possent, egregium non esse. Tum inibi rationem haud paullò difficiliorem, quam cum paucissimis mihi esse communem intelligebam. Exquisitas sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo versabam, eas orabam verbis quam poteram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mutato, cùm eadem essent, alia tamen viderentur. Erat non dissimilis in verborum figuris commentatio. Si quas notaveram illustriores, ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eamdem locutionem ad res propè innumerabiles accommodans, quasi ex una cera plures imagines, nec tamen eiusdem generis, effingerem. In hac exercitacione

zione quantum esset, utinam aut mature cognovissem, aut serò cognitum, avidéque arreptum vis occupationum non extorsisset! Evidem si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo: sed si quid sum, ab hac unâ esse contendam.

HIS tam luculentis testimonii ac preceptis quid in rem præsentem adjungi possit, non video. Hoc tantum, Ingeni si Adolescentes, (vos enim, quibus Poësis in amore atque deliciis est, hic paucis alloquar) hoc tantum à vobis contendo, primum, ut quæ ex Quintiliano Manutioque à me prolatæ sunt, poëticis aquæ ut oratoriis studiis convenientia, non cursum, sed cunctanter attentéque perlegatis; deinde, & id quidem multò magis, eorum fructum usu vestro comprobetis. Perrò cùm hoc exercitationis genus certamen atque amulationem Quintilianus vocet, penitus in animis vestris insidiat necesse est, poëtis non nisi optimis, & quod inde consequitur, paucis consuescendum esse. Neque enim infeliciter tantum, sed armis etiam imparibus congressuri estis, si ab hac aut illâ inferiorum poëtarum lectione recentes in certamen cum præstantioribus veniatis. Alexander cùm à parente suo Philippo ad stadium in Olympiis decurrentum excitaretur: Facerem, inquit, si reges habiturus essem, qui mecum contenderent. Hanc altitudinem animi ad studia vestra transferre vos volo, & in hoc literario pulvere cum iis tantum decurrere, quos faculorum omnium consensus ad literarum principatum extulit. Quod in iis elegans, moratum, pressum verbis, rebus affluens, id ita immutandum illusrandumque sumite, ut in pari argomento, velut in eodem curriculo, cùm iis deistoriâ disceptare velle videamini. Eant, & mirentur sese, qui cùm ab eximii scriptoris opere, velut à pulcerrimo corpore, truncâ membra distraxerint,

rebus-

rebūsque suis accommodarint, ejusdem in scribenda
venustatem, nervos, opes, ornamenta, lumina,
suavitates, omnia denique se asecutos pugant. Vi-
bius Rufus (rem ridiculam & jocosam!) Ciceronis
uxorem duxerat, eāmque sellam, in quā Iulius Ca-
sar, quoties in senatum venerat, considere solitus,
& ad extremum interfectus fuerat, domi sua affer-
vabat; utrōque gloriabundus, ut inquit Dio, aut
Orator propter conjugem, aut Caesar propter sellam
futurus. Et ad consulatum quidem homo glorioſus
ambitionis viā grassatus tandem pervenit: sed fa-
cilius illi fuit collegam habere in magistratu Caſa-
rem, quām in eloquentiā Ciceronem. Hanc autem
& muliere deferri viro dotem posse si existimavit, a-
mens fuit. A Vibio nostro insciti illi & arrogantes
imitatores quām propè absint, per se liquet. Nec vi-
rile quidquam nec grande concipiunt proferuntque,
& tamen, si ipsis de se creditur, cib nescio qua Poë-
tarum principibus direpta fragmenta similes illis ac
pane pares videri volunt. Fucorum est istud inge-
nium, qui ad aliena pabula immunes sedent, eāque,
ut sunt, constructa diripiunt. Apes in agris & fal-
tibus rerem, & arberum lacrymas, & thyma, &
flores nocta, adeò copiosè studiosèque ex iis, qua in
usus suos opportuna sunt, legunt, ut in earum Re-
publicā quādam sortitò portas occupent, qua ve-
nientium onera accipiunt; at quā deinde sedulitate,
quo artificio ceras ex illis, existis mella fingunt,
thymum quidem florēsque redolentia, sed transfor-
matos? Quid aliis Virgilius debeat, nemo nescit:
nec ipse pro modestiā suātacet ac dissimulat, cūm &
Theocriti gratiā, quem imitando exprimit, Siceli-
das Musas & Arethusam invocat; & quod carmen
Hesiodus Gracē, se Latinē per Italia oppida canere
profitetur. Immensam autem Iliados & Odysseas opu-
lentiam

lentiam Aeneis explicat, quā ipsa instructa ornataque incedit. Sed hoc acerrimi judicij poëta consecutus fuit, ut, cū imitatio plerūmque declinet in peius, alii ex ipso, non ipse ex aliis, quos post se reliquit, similitudinem duxisse videatur. Nec Horatius, ut veteres alios prætermittam, à præstantibus è Graciā poëtis laudem non mutuatus fuit: in quorum vestigiis quām sapè pedem posuerit, credibile faciunt Lyricorum tenues illa reliquia, qua adhuc nobis è deflagrati Gracorum imperii cineribus supersunt. Compendiosa igitur, & trita maximis etiam ingeniis via est, excellentium auctorum virtutes intelligendo primū, deinde & imitando consequi. In hanc ego vos viam deducere hoc libello volui. Difficilem, dicetis, & molestam, quā per aliena vestigia nunc hac, nunc illā ratione decurrentum. At mihi credite, ut equi, dum in hippodromo exercentur, primū quidem habenīs & calcaribus non sine molestiā subiguntur nunc cursum rectum tenere, nunc gyro frangere; nunc incitatiore, nunc temperatiore gradu ferri; interdum in summā perniciitate subito resistere, interdum fossas aut repagula saltu superare; agunt deinde palastrico more (nam morem usus facit) expeditius omnia: ita qui in hoc curriculum sese compulerint, laboriosa primū iis est, deinde facilis exercitatio. Laborem certè jucundum reddit assecuta scribendi ratio, quam verborum delectus, sententiarum pondus, brevitas integra, circumcisā copia, denique in quo sunt omnia, stylus ad veterum leges efformatus commendant.

AUGU

AUGUSTI LAUDES:
REGULI CONSTANTIA,
ET AD POENOS REDITUS.

Horat. lib 3. Ode 5.

Cælo tonantem credidimus Iovem
Regnare :

præsens Divus habebitur
Augustus,

adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Milésne Crassus, conjuge barbarâ
Turpis maritus vixit?

Et hostium
(Pro curia, inversique mores?

Conse-

ANTONIO L'HERMITE,
SUPREMI CONCILII
MECHLINIENSIS
PRÆSIDI,

*In M. Attilio Regulo Consiliarii publico bono
omnia, nihil suo metientis absolutissimam
imaginem.*

Redidimus, cælo siquando clarus ab alto
Intonuit, regnare Jovem, qui rumperet igni
Nubila, fulmineumque ageret per inania currum:
At nunc, præsenti cuius sub numine Roma est,
Augustus Cæsar positis sacrabitur aris.
Dumque illum Erigone interea, cœtusque Deorum
Indigetem accipiant, Divis adscriptus, & ipse
Exortus Divis, populique, urbisque vocari
Assuescet votis. Extremos ille Britannos
Addidit imperio sine cæde & sanguine i victor.
Ille etiam nostris opibus spoliisque suberbos
Contudit Arsacidas, amissaque signa recepit.
Et Crassi cladem manesque piavit inultos.
Degener, & frustra patriæ devota juventus
Sic vitam pepigisse, hos & celebrare hymenæos
Sustinuit: tædisque (nefas) dignata Latinis
Romanum mulier tenuit complexa maritum
Barbara: nec, saceri dextram indignatus & ora,
Abstinuit thalamis gener, averfusque refugit?
Quin etiam pictis pharetris, & acinace Medo
Accinctus molles humeros (prò sancta Quiritum
Curia

I Non armis Britanniam Augustus, sed benevolentia
sibi adjunxit. Viri quidam principes ejus loci. ut sit
Strabo, legationibus obsequiisq; Cæsaris Augusti ami-
citiam consecuti, & dona diu immortalibus in Cap-
itolio posuere, & universam panè insulam Romanis
conciliavisse.

*Consenuit sacerorum in armis
Sub rege Medo Marsus, & Appulus,
Anciliorum, & nominis, & toga
Oblitus, aeternaque Vesta,*

Incolumi Iove, & urbe Româ e

Hoc caverat mens provida Reguli,

*Dissentientis conditionibus
Fædis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.*

*Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi.*

Curia , & inversi nullo sub vindice mores !)
 Consenuit , fessosque trahens inglorius annos
 Celavit canos galeâ , turpemque senectam.
 Non Marti , genus acre virûm , non Appula pubes
 Jusserat hoc sperare. At Martis gloria nostri ,
 Purpuraque , trabeaque , & lapsa ancilia cælo ,
 Æternique ignes sacrorum , Vestaque mater
 Exciderant animo. Quodque indelebile captis
 Opprobrium , dum Roma viris , magnisque vi-
 gebat

Consiliis , dum res Italum , prolemque , domosque ,
 Et Capitoline servabat Juppiter arces
 Incolumis , vitam indecores pepigere precando.
 Caverat hoc durus bello , prudensque futuri
 Regulus , ipsam animis , ipsam præstantibus armis
 Deberi vitam reputans. Non ille Senatum
 Multa reluctantem , & captos revocare parantem
 Audiit. Infames leges , & inertia pacta
 Rescidit indignans : & ni captiva periret
 Infelix pubes , nulli deflenda Quiritum ,
 Quos , heu , quos patriæ casus luctusque canebat
 Fatidicus ! scgenes olim volventibus annis
 Venturos Latio juvenes , fortissima frustra
 Pectora , qui pugnas inter , lituosque , tubasque ,
 Confusosque neces , pallentes morte futura ,
 Ulro addant in vincula manus , nec viribus usi
 Vitam , quæ fuerit fortuna facillima , querant.
 Usque adeò & seræ stirpes contagia ducunt.
 Signa ego Sidoniis , dixit , pendentia vidi
 Nostra tholis : pendent variae circumque supraque
 Exuviae , & nullis respersa cruentibus arma.
 Scutaque , mucronesque , extortaque tela , nec ulli
 Fatales hastæ. Vidi & thoracas ahenos ,
 Nec squamis laceros , nec adacta cuspide laesos ,
 Avulsos impunè humeris. Et nunc quoque Po-
 nus

*Vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,*

*Portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.*

*Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit.*

*Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco :
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.*

*Si pugnat extricata densis
Cervaplagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus :
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.*

*Hic, unde vitam sumeret in sciis,
Pacem duello miscuit.*

Cingula, sicut erant, nostris fulgentia bullis,
Atque albas equitum parmas, habitusque Gabi-
nos

Servat adhuc. Vidi ipse viros inimica volentes
Iura pati, & centum nodis post terga revinctos
Ire graves. Non libertas, multusque Latinæ
Gentis honos revocare animos, nexisque catenas
Rumpere: venalis vitæ spes una recursat.

Me miserum! quid nos Libye, Tyriique coloni
Jam metuant? pandunt portas, laxantque revulsis
Clastra seris, & quæ noster fœse arduus olim
Intulerat prædâ gaudens, & sanguine Mavors,
Securos illo ducunt in pulvere sulcos.

At pudor incendet vites, auróque repensus
Opprobrium ferro miles, criminque refellet
Acrior, & famæ impulsus melioris amore.
Quondam etiam ultrices iras explesse juvabit.
Scilicet is pavidis labor est, ea gloria vincitos
Sollicitat. Damno infandum cumulare paratis
Flagitium. Neque lana refert medicata colores
Muricibus Tyriis positos: nec Martia virtus,
Cùm temel exciderit, redit in præcordia victis.
Si densas ubi cerva plagas, ferrumque latronis
Evasit pavitans, media in venabula frendens
Irruit, & ruptâ exultat formidine victrix,
Credite, perjuris fœse qui credidit Afris,
Ibit in adversos violentior. Ibit, & armis
Jam melior, victos pugnâ bellisque subactos
Proteret insultans, qui strictis lora lacertis
Sensit iners, timuitque mori. Nil demere vincla
Profuerit, cui vita probro est. Malè námq; precando
Exigitur, quod Mars ferro extorque re cruento
Debuerat. Malè tum dextræ tenduntur inermes,
Cùm fremitus pugnantum inter, gemitusque ca-
dentum

Victorem ulcisci decuit. Quid nostra juventus

Inter-

*O pudor !
O magna Carthago probrosis
Altior Italie ruinis !*

*Fertur pudica conjugis osculum,
Parvosque natos , ut capit is minor ,
A se removisse , & virilem
Torvus humili posuisse vultum.*

*Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor numquam alias dato ,
Intérque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.*

Atqui

Interea ? pacem mediis immiscuit armis,
 Vecors , quæ quod nunc spiret , cladique supersit
 Ipsa suæ , lacrymis debet , turpique catenæ.
 Jamque adeò aut hosti supplex nos dextera servat ,
 Aut fuga : sic pugnat , sic orbi Roma timetur.
 O pudor ! ô belli studiis magnæ æmula Romæ
 Carthago ! at non tam virtus super æthera tollit
 Te tua : probrosis crescit tibi fama ruinis
 Æneadum : tibi nostra facit socordia nomen.
 Dixerat , & nondum verbis mentemque calorém-
 que

Explorat satis. Attoniti hæc haud mollia fatu
 Secum agitant Patres animo , longumque morati
 Ora tenent , oculisque : silent augusta Senatus
 Atria : mirantur vultus , habitumque loquentis :
 Mirantur vinclisque animum , mortique paratum.
 Non mens his eadem , non idem sensus : at ille
 Ingens consilio , factis ingentior ardet
 Maturare viam , dirisque revisere Pœnos ;
 Pignoraque , & thalami sociam complexibus arcet.
 Non illam lacrymas , non illam sustinet ultrà
 Perdere blanditias , & amanti dulcia quondam
 Oscula , dum liber , dum non obnoxius ulli
 Civis erat : nunc se vinclum , capitisque minorem.
 Sæpè etiam patrem parvis tenuisse lacertis
 Dicuntur pueri flentes , abitumque morantes.
 Sed parvos (quamquam nihil his violentius esset)
 Asper , & implacidus durâ cervice lacertos
 Dimovit pater , atque ora indignantia flecti
 Torvus fixit humi : nullique audita priorum
 Consilia ingressus , Patres firmare labantes
 Institit. Illum iterum ante alios mœstissima con-
 jux

Scissa comas , & quæ poterat moritura videri ,
 Lamentis , gemituque , & luctisono plangore
 Prosequitur , lacrymisque inter mandata profusis
 Luget ,

*Atqui sciebat qua sibi barbarus
Tortor pararet:*

*non aliter tamen
Dimovvit obstantes propinquos
Et populum redditus morantem :
Quam si clientum longa negotia
Dijudicatâ lite relinqueret ,
Tendens Venafranos in agros ,
Aut Lacedæmonium Tarentum.*

NEREI VATICINATIO DE RUINA TROIÆ.

Horat. lib. i. Ode 15.

*P*Astor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam ,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos , ut caneret fera
Nereus fata.

*Malâ ducis avi domum ,
Quam multo repetet Gracia milite,*

PARAPHRASES HORATIANÆ. 119

Luget ut extinctum. Sed nullis flectitur exul
Egregius lacrymis, properatque volentibus illuc
Ire animis, quò pacta fides, duræque vocant res.
Atqui non illum Libyci latusse furores.

Phœbeos ignes, Phœbeisque ignibus orbes
Obversos oculorum, & squalida carceris antra,
Et vigiles noctes, & quidquid tortor ab illo
Barbarus exegit, bello truculentior ipso,
Haud vanus jam secum animo præceperat augur.
Perstigit invictus tamen, & vincla omnia rupit
Conjugiisque, domusque; undamque, morisque
frementis

Evicit populi, tectisque excessit avitis
Haud alio vultu, quam si post longa clientūm
Iurgia, fessum urbis, strepitique excedere latum,
Aut nemore aut densâ platanis frōdentibus umbrā
Sive Venafrani colles, seu molle Tarentum
Victorem causæ acciperent, curisque levarent.

JACOBO DE CALVART,

SUPREMA CURIÆ MECHLINIENSIS
CONSILIARIO.

*Bellorum eversorumq; Regnorum causas Ne-
rei quoq; judicio in peccata conferendas.*

NAvibus Idæis profugus Lacedæmonie pastor
Pergama cùm peteret, traheretque per alta
Lacænam

Perfidus, hos illi luctus & fata canebat
Vaticinans Nereus. Luctus & fata canentem
(Quippe pater rapidis indixerat otia ventis)
Audivere procùl venti fluctusque silentes.

Infelix prædo! lævo tibi numine Divum
Ducitur, armorum longo repetenda tumultu,
Nupta domum. Jam signa dabit, jam Græcia coget
Undique

Conjurata tuas rumpere nuptias,

Et regnum Priami vetus.

*Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae.
Genti!*

*jam galeam Pallas, & agida,
Curruisque, & rabiem parat.*

*Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Petes cesarium, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides.*

Nequa

PARAPHRASES HORATIANÆ. 424

Undique in arma viros. Phthiam, & Salaminia
regna,
Dulichiúmque, Pylúmque, Agamemnoniásque
Mycenas,
Myrmidonú Dolopúmque urbes, & robur Achivú,
Ætolósque Arpos campis effundet apertis,
Atridæ læso auxilium: simul æquora velis
Tota teget. Ne fide tuis, néve Hectora belli
Finge moram: vincent Danaï, perjuráque rumpent
Fœdera, & infames tecum fugientis amores,
Aulide testati Superos, arásque Dianæ.
Ipse Deos frustrà patrios, Pyr húmque furentem
Incusans Priamus patrio cadet hostia busto
Infelix. Secum natos, spem gentis inanem,
Affaracíque Larem, veterisque insignia regni
Exitio involvet. Jam nunc mihi tota geri res,
Iam conferre manum, jam currū stare videtur
Æcides. Eheu, quantus per corpora manat
Sudor equis, quantúsque viris! Quot adultera virgo
Funeribus dotanda venis! Non arma virósque
Correptos undis (Xanthum, Simoëntáque testor)
In mare sanguineis evolvunt fluctibus amnes.
Fallor? an & subeunt animis cælestibus iræ,
Ultorésque Deos in Dardana suscitat arma
Perfidia, extinctúsque pudor? Jam torva comantem
Induitur galeam, jam concutit ægida Pallas,
Et currus parat, & rabiem, justúmque furorem.
Nequidquam, arbitrii pretio Venerisque superbis
Prædio, niveâ pectes cervice fluentem
Cæsariem, & molli formam profitebere cultu;
Dardaniásque nurus inter tibi Lydia posces
Barbita, cuique suam dicturus carmine laudem.
Scilicet & flavi crines, & eburnea cervix
Semiviri Phrygis, & choreis & amoribus apti
Imbellis citharae cantus terrore Pelasgos
Implebunt animos, classique opibúsque timentes.

Nequidquam thalamo graves
Hastas, & calami spicula Gnosii
Vitabis, strepitumque, & celerem sequi
Aiacem, tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines

Non Laërtiadēn, exitium tūs
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius

Teucer, te Sthenelus sciens
Pugna, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre.

Quem tu, cervus uti vallis in alterā
Vīsum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,

PARAPHRASES HORATIANÆ. 123

Nequidquam, thalami spondâ compostus eburnâ,
 Bellantûm strepitus, & Gnoſia spicula, & hastas,
 Et Telamoniaden cursu ferróque sequentem
 Fatifero, belli rudit & sine pectore miles
 Effugies. Ut te primis fortuna peticlis
 Eripiat ; tamen, heu, nitidas Syrióque madentes
 Rore comas, multo commistus sanguine pulvis
 Collinet, & lætos oris confundet honores.
 Non Laërtiadē Phrygiis suprema ferentem
 Excidia, & signum aversæ fatale Minervæ
 Effractis rapientem adytis, non Nestora demens
 Respicias ? infesto sequitur te vulnere Teucer
 Impavidus : jam jāmque latus premit, & ferit
 hastâ

Expertus pugnæ Sthenelus, dum cominus æquo
 Congreditur pede, seu currus in pulvere versat,
 Non auriga piger. Nosces, quid dæxtera possit
 Merionis. Viden' ut furiis metuendus & armis
 Tydides te te mediâ vestigat arenâ ?
 Uni odiis, uni telis ardentibus instat.
 Hic vir, hic est, sibi quem famâ & felicibus
 ausis

Præferri gaudet genitor, cùm Rhesus, & Hector,
 Et Venus, & Mavors, & Pallas, & omnia nati
 Occurrunt animo non invidiosa paterno.
 Quid tibi, cùm saevis in te ruet obvius armis,
 Mentis erit ! Solo instantis te rebere vultu.
 Qualis in adversis nemorosæ vallibus Idæ
 Cerva lupum vacuas arentem sanguine fauces
 Cum videt accelerare, fugit : non læta morantur
 Gramina, non gelidi fontes, umbrosaque tempe.
 Illa volat, crebróque pavens quatit ilia pulsū.
 Sic quoque Tydidae visu tremefactus, & amens
 Terga dabis : pulsans quatiet præcordia terror,
 Præcluderetque vias animæ, curiūisque labore
 Destinuet fessos sublimis anhelitus artus.

Non hoc pollicitus tua.

*Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei.*

*Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.*

IN BELLUM CIVILE
GESTUM HINC BRUTO ET CASSIO;
ILLINC AUGUSTO ANTONIO,
ET LEPIDO DUCIBUS.
Horat. Epod. Ode 7.

Quo, quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

*Parūmne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sauguinis?
Non ut superbas invida Carthaginis
Romanus arcēs ureret:*

*Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via:*

At non illa tuæ quondam promissa dedisti ,
 Cùm molli fatus gremio præclara juventæ
 Facta tuæ, certos arcus, & spicula iusso
 Fixa loco, mediisque greges ex hoste receptos
 Narrabas fidens animi, & securus amorum.
 I nunc, & Troiæ vires , cessuraque jacta
 Dorica castra tuis. Classis tardantis Achillei
 Iracunda diem vertendæ proferet urbi ,
 Matronisque Phrygum : sed non & Troica semper
 Duci bella sinet , juratique fallet inultus
 Numina. Post certas hiemes considet in ignes
 Ilion Argolicos , victorque à culmine versa
 Insistet Troiæ cineres , Asiamque sepulcrum.

FERDINANDO DEL PLANO SOCIETATIS JESU

RECTORI BRUXELLENSI

*Horatianam hanc inscribebat querimoniam ,
 à temporibus nostris non alienam , quibus
 Europa arma in ipsius exitium versa .*

QUÒ vos, quò belli rabies, furiaque, scelesti,
 Præcipitant? aut cur iterum, quos Roma ne-
 fandis
 Jam saturata odiis, pugnásque exosa suorum
 Condidit, aptantur dextris horrentibus enses?
 Neptunusne parum, campique hausere Latini
 Sanguinis? At non ut Tyrios, atque invida nostris
 Litora litoribus victor ditione teneret
 Ausonius: non ut magna Carthaginis arces
 Ureret, &c, cinerem presso infestatus aratro,
 Invisum genus & ferro deleret & igni.
 Prò pudor! intaetam cur non his fregimus armis
 Albionem, & Tusco Tamesim subjecimus amni?
 Cur non hunc nostris viactum post terga catenis,

*Sed ut secundum vota Partherum suā
Vrbs hac periret dexterā.*

*Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vmquam, nisi in dispar feris.*

*Furórne cæcus, an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date.*

*Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculta stupent.*

*Sic est: acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis:
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus crux.*

A D S O D A L E S.

Aetiacam Augusti victoriam celebrat.

Horat. lib. i. Ode 27.

N*Vnc est bibendum:*

nunc pede libero

Pulsanda tellus:

nunc

PARAPHRASES HORATIANÆ. 127

Cur non & puppes, & rostra Britannica sacrâ
 Vidimus ire viâ? Quo nil funestius ipsi
 Arsacidæ Latio voveant, tibi movimus arma
 Roma parens: & quam dederas lucisque suique
 Contemtricem animam miles projecit, ut ipsa
 Viribus usa tuis, atque hosti flenda perires.
 At non ille lupis, non ille leonibus umquam
 Mos fuit. In dispar, aliaque à stirpe profectum
 Insiliunt genus: hic rabiem, dentesque fatigant.
 Vosne igitur cæcus furor, an vis acrior urget,
 Romulidæ? an scelera, & scelerum stimulantque
 trahuntque

Ultrices Diræ, tædisque ardentibus instant?
 Dicite. Quæ tandem vobis responsa dabuntur
 æqua satis? mussant taciti, pallorque feroceſ
 Infecit vultus, & diri conſcia Martis
 Mens stupet attonitis, nec causas invenit armis.
 Sic est: præcipites impellunt fata Quirites,
 Fraternæque necis facinus, cum perdere nostræ
 Sustinuere manus, quem nec lupa feta, nec amnis
 Perdiderat, servans puerum nil tale merentem.
 Hic crux, hæc seros exercet culpa nepotes.

CASPERIO GEVARTIO,
 CONSILIARIO
 ET HISTORIOPHAGO CÆSAREO,
 A C R E G I O,
Casarei Imperij primùm stabiliti victoriā.

Nunc madeat Baccho calices, fertisq; revincti
 Tempora Lenæum Marti libemus honorem.
 Armorum cessere metus, & libera nostris
 Otia sunt choreis: nunc nunc pulsanda soluto
 Terra pede est, plausumque procūl, vocesque ca-
 nentum

*nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, Sodales.*

*Antehac nefas deponere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria.*

*Vix una sospes navis ab ignibus.
sed minuit furorem*

*Mentemque lymphatam Mareoticæ
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italâ volantem
Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas,*

Romani montes, exesaque montibus antra
Ingeminent. Quid adhuc animis inclusa, So-
dales,

Gaudia dissimulamus? amat victoria pompas,
Et Dis sollemnes epulas: & jam dare templis
Munera, jāmque aras, ac pulvinaria Divūm
Tempus erat dapibus, Saliōque ornare paratu.
Ante nefas fuerit cellis depromere avitis
Cæcuba, dum Memphis patrio Capitolia fistro
Terruit, & cladem imperio funusque paravit.
Hos mulier demens animos, missique Canopo
Semiviri attulerant, vino myrrhāque madentes,
Marcidāque obsceno depasti corpora morbo.
Quid non illa sibi Phariis promisit ab armis?
Quid non & primos inter speravit amores,
Romanique ducis thalamos? Videt ultimā secum
Bactra vehi, secum Eois tumefacta triumphis
Agmina, secum Arabas, raptosque in bella Sabæos.
Æstuat impatiens animi, ceu Baccha liquenti
Vista Deo, mediisque ferox in millibus ardet.
Heu quo fortunæ dulcis furor ebria raptat
Pectora! Leucate sed enim, commissaque velis,
Cæsar, vota tuis, & Phœbi numina fastus
Niliacos fregere. Nihil fulgentia rostra,
Nil ebur, aut pictas juvit tutela carinas.
Isidāque, & fulvis præfixum pupibus Apin,
Omnigénosque Deos, quibus unda pepercera,
ignis

Abstulit. Hæfere affixi, telluris amore,
Semiustis nautæ tabulis: servata triumpho
Vix ratis una fuit. Frustrè Mareotica vina
Lymphatæ addiderant animos. Videre volantem,
Et Nilo pariter, libertatique timentem
Æquora: vinclorum celeres timor addidit alas.
Ac veluti multo accipiter per nubila gyro
Indulgens, imbellem oculis si forte columbam

*aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmonia: daret ut catenis
Fatale monstrum.*

*Qua generosius
Perire quarens , nec muliebriter
Exparuit ensem , nec latentes
Classe citâ reparavit oras.*

*Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis , & asperas.
Tractare serpentes , ut atrum
Corpore combiberet venenum ,
Deliberata morte ferocior :*

*Savis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humiliis mulier triumpho.*

PARAPHRASES HORATIANÆ. 131

Sortitur, mora nulla, volat, jam jámque tenenti
 Assimilis, rostróque minax atque unguibus instat:
 Aut qualis citus Æmonio venator in arvo
 Deprensum insequitur leporem, celerique canum vi
 Urget agens pavitatem, & cursu extrema mo-
 ventem:

Haud aliter Latio profugam terréisque, premítque
 Ionio invectus Cæsar. Jam vincla fugaci
 Certa parat: jam sacro ardet deducere clivo
 Fatalēm Italīæ, & Nili trepidantis Erinnyn.
 At non illa pavens, miserisque exercita rebus,
 Fortunam increpitat: sequitur, quocūque volentem
 Lex adversa vocat fatorum, & Juppiter hostis.
 Unum amens agitat generoso occurrere leto.
 Usque adeò extremo fortunæ in limite cedunt
 Feminei (quid enim metuat moritura?) timores.
 Non illam, quamquam Nilus pater ostia septem,
 Cæruleosque sinus, latebroſaque flumina viæ
 Panderet, obscurâ se condere vidi in ulvâ.
 Non terrere novis instantem classibus hostem
 Cura fuit. Veteres arces, & mœnia Lagi
 Quadrijugo invehitur curru, simulatq; triumphos,
 Non ignara metus vultu celare sereno.
 Quin etiam jam certa mori, atque immanibus ausis
 Effera, pectoribus liventes admovet hydros.
 Ipsa volubilibus cudentia brachia spiris
 Implicat: ipsa ultrò squamis horrentia terga
 Sanguineosque jubes, maculosaque colla venenis
 Arrigit: & quanto linguis animaque nocenti
 Acrius insurgunt, tantum ipsa ferocia crescit,
 Et leti furialis amor. Tyrrhena per alta
 Privata mors aderti Latio, funestius ipsâ
 Morte malum est. Tibi, Roma parens, sævisque
 Liburnis
 Invidet hunc de se titulum. Capitolia, Cæsar,
 Victores currus, plausus, fremitusque Quiritum,

AD GROSPHUM.

*Tranquillitatem animi optari ab omnibus,
cāmque coērcendis cupiditatibus
comparari.*

Horat. lib. 2. Ode 16.

OTium Divos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetrā decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpurā ve-
nale, nec auro.
Non enim gaza, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensā tenui salinum,
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Quid

Regiaque indignis cervix oneranda catenis,
 Et seu quid vicitus, seu victor cogitat, ægrum
 Incendunt animum. Quæ non opprobria duçat
 His mulier leviora, orbis, si fata tulissent,
 Doranda imperio, nec adhuc oblita quid esset,
 Nec dominum dignata? Juvat, quando arma fu-
 renti

Sors inimica negat, juvat exturbare venenis
 Infelicem animam, & sese subducere pompa
 Romulidum: secum hæc aufert solatia mortis.

F R E D E R I C O DE M A R S E L A E R , E Q U I T I , T O P A R C H A E D E P A R C K , &c.

O Tia Carpathio deprensus navita ponto
 Exposcit Superos, cum Lunam turbida con-
 dunt
 Nubila, nec laceris præludent sidera velis.

Otia Thracæ, durum Martis genus, otia Medus
 Insignis pharetrâ, non gemmis, Gosphe, nec
 auri

Pondere, nec Tyrio regum venalia cultu.
 Nam neque Parthorum gazæ, neque divitis Indi
 Munera componunt animum rationis egentem,
 Discordemque sibi. Si vulgi ignobilis undam,
 At non & miseris lictorum virga tumultus
 Pectoris, & curas circum laqueata volantes
 Limina submoveat. Parvo bene vivitur illi,
 Cui patrium in mensâ tenui splendere salinum
 Contigit, & lenes somnos neque sordidus auri
 Rum.

Quid brevi fortes jaculamur & vo
 Multa ? quid terras alio calentes
 Sole mutamus ? patria quis exul
 Se quoque fugit ?
 Scandit aratas vitiosa naves
 Cura : nec turmas equitum relinquit
 Ocior cervis , & agente nimbos
 Ocior Euro.

Latus in præsens animus , quod ultrà est ,
 Oderit curare , & amara lato
 Temperet risu. Nihil est ab omni
 Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem :
 Longa Tithonum minuit senectus.
 Et mihi forsan , tibi quod negarit ,
 Porriget hora.

Te greges centum , Siculaque circum
 Mugiunt vacca : tibi tollit hinnitum
 Aptæ quadrigis equa : te bis Afro
 Murice tincta
 Vestiunt lane : mihi parva rura , &
 Spiritum Graia tenuem Camæna
 Parca non mendax dedit , & malignum
 Spernere vulgus.

RUSTI-

PARAPHRASES HORATIANÆ. 135

Rumpit amor , gelidusve pavor. Quò vota pre-
césque

Mittimus , & fortis angusto poscimus ævo
Plurima ? quid terras alio sub sole jacentes
Quærimus incerti rerum ? quis se quoque fugit
Extorris patriâ ? scandit vitiosa fugaces
Cura rates , tergóque equitis fugientis inhæreret,
Ocius & cervis , & aquosis ociosus Euris.
Vividus in præsens animus curare , quod ultrà est,
Oderit , & læto moderetur tristia risu
Vitæ fata suæ. Nihil omni parte beatum est.

Abstulit Æaciden clarum fulgentibus armis
Mors cita : Tithonum minuit longæva senectus.
Et forsan , quodcumque tibi ventura negarit,
Porriget hora mihi non invidiosa roganti.
Mille tibi vacuis pascunt in saltibus agnæ :
Te circum Siculas audis mugire juvencas ,
Quadrupedésque tibi campos hinnitibus implent
Eleis digni spatiis : te vellera Pœno
Murice tincta tegunt : agro mihi Parca Sabino
Rus dedit , & Graiis primū modulata Camœnis
Romanis aptare modis , vulgusque malignum
Spernere , fatorum yates non vana meorum.

PETRO

RUSTICÆ VITÆ LAUDES.

HORAT. EPOD. ODE 2.

Beatus ille, qui procul negotiis
(Ut prisca gens mortalium)

Paterna rura bobus exercet suis,

Solutus omni fenoce,

Nec excitatur classico miles truci,

Nec horret iratum mare:

CATIP

Dorūm-

PETRO VANDÉ VVALLE,
 PARENTI SUO,
 TENEDIJ DOMINO,
*Procùl ab ambitu & curis in Molebecano
 suo sibi & secum viventi.*

Felix sorte suâ , quem non ignava sequentem
 Otia rus patrium dulci complectitur umbrâ.
 Longæ illi Curæ insomnes , comitûmq; Laborum
 Invilæ facies , quæ multa & magna moventem
 Huc celerem atque illuc rapiant , pérque ardua
 versent,

Ipse sibi semper vacat, aggreditúrque quod instat:
 Arvâq; , quæ quondam proavi non magna tenebât,
 Exercet patiens operum ; armentóque quotannis
 Sorritus sobolem , fortissima corpora tauros
 Inde legit, quos dehinc domitos assuescere cogat
 Servitio , & terram impresso proscindere aratto.
 Non pretio nummos redimit , pretiôve redemtos
 Occupat , & fenus tabulis subducit avaris.
 Fenus amat , quod sponte suâ justissima tellus,
 Et gravidæ pecudes , & messis reddit , & arbor.
 Sic olim, ut perhibêt, cùm fraudum ignara vigeret
 Simplicitas , neque faetus adhuc , aurique cupido
 Improba criminibus nomen posuisse honestum,
 Innocuæ vixeré animæ , parvóque beatæ.
 Quid refert , aliis thalamo sublimis eburno,
 Ille toro , cui sponda salix , aut fissile robur,
 Componat caput ? Hic mulcer , reficitq; jacentem
 Alta quies , lecto non abrumpenda saligno.
 Quippe ubi nec primæ , nec seræ tempora noctis
 Distinguunt litui , rumpuntque silentia cantu.
 Non , si discordes miscent freta fervida venti ,

Æquo-

Forūmque vitat,

& superba civium
Potentiorum limina.

Ergo aut adulthā vitium propagine
Altas maritat populos :

Aut in reductā valle mugientium
Prospectat errantes greges :

Inutilēsque falce ramos amputans
Feliciores inserit :

Æquoreos horret fremitus , humiliisque pavens-
que

Namina conclamat , ne quid nimbosus Orion ,
Ne quid atrox peccet Boreas , laceræque carinæ
Addat opes pelago. Vitat fora , vitat & æstus
Undantis populi : nec quid tabularia , nec quid
Jura ferant , meminit. Non illum aurora moran-
tem ,

Quæ se non alibi primūmque ostendit Eouin
Pulcior , ad lites clamósaque jurgia cogit.
Nec jam defessus longas evolvere causas ,
Orando ingratos queritur se condere soles.
Sollicitent votis alii invidiosa potentūm
Arbitria : obsideant aditus , atque alta superbis
Auria porticibus , certatimque oscula pugnant
Præt pere , & primas dominis jam mane recenti
Dicere blanditias. Hæc ille Capharea saxa ,
Has prudens metuit Symplegadas , & sibi fasces
Ac trabeas sinit emeritum exorare clientem ,
Semotus longè populo , & cívilibus undis.
Ergò illum aprici colles , campique feraces
Curarum expertem accipiunt. Hic imperat arvis
Ipse suis , terrásque docet parere volentes ,
Nec regum , sua regna videns , suspirat honores.
Nunc vites serit , & , verni cum palmitis ætas
Prima viret , tenerum virgis furcāque bicorni
Tollit humo : de n & validi propagine fetus
Populeas latè stirpes ulmósque maritat.
Nunc illum procùl umbrosâ sub fronde morantur
Secessus pulcri nemorum , vallésque reductæ ,
Faunorum domus. Hic pingues errare juvencas
Prospectat : longè resonant mugitibus agri ,
Pascuáque , & noti gregibus sientibus amnes .
Venerit insitio ; juvat hunc , juvat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno.
Finduntur nodi : resecantur , inutile pondus ,

*Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves.*

*Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit ,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra ,
Certantem & uvam purpura ,*

*Quâ muneretur te, Priape, & te pater
Silvane tutor finium!*

*Libet jacere modò sub antiquâ ilice ;
Modò in tenaci gramine.*

Silvestres rami : ramus felicior alter
 Inseritur : surgunt udo nova germina libro.
 Mirantur platani malos , mirantur & ulmi
 Ignatas glandes : & non gentilibus ornus
 Stat curvata pyris , nec se agnoscit in illis.
 Nunc apibus fetis cellas distentaque melle
 Horrea rimatus populat , purisque recondit
 Aurea dona cadis : nunc mollis vellera lanæ
 Infimo pecori frondente sub ilice tondet.
 Inde ubi formosum pomis & mitibus uvis
 Frugifer autumnus flavis caput extulit arvis,
 Quam juvat h̄ic atque h̄ic , ut se malūsve , pyrūsve
 Obtulit , & pomis oculos dextrāmque legentis
 Prima vocat , fetu gravidos adducere ramos !
 Felices ramos , quos ipse inolescere nuper ,
 Et genus invitis docuit committere truncis.
 Quam juvat & plenis pendentem vitibus uvam
 Carpere , certantem Tyrios anteire rubores !
 Tum tibi , quòd fruges , & munera divitis horti
 Servaris , furum custos aviūmque , Priape ,
 Primitias fert in calathis , falcique salignæ
 Pampineam circùm intexit , sua vota , coronam ,
 Téque vocat Silvane pater : tibi pinguis culta
 Tuta refert ; tibi depulsos à messibus apros ,
 Et morsus pecorum , aversūmque à palmita ca-
 prum.

Fortè aliquis soles , dum nulla h̄ic porticus Arcton
 Excipit & Borean , sub iniqui sidere Cancri
 Ardentes metuat. Sed enim , nisi nuda per agros
 Corpora messorum sudore fluentia cernas ,
 Ignores propè , quid rapiidi vis ignea Phœbi ,
 Quid Leo , quid Cepheus , sitiensque Canicula
 possit.

Nunc juvat ignavos æstus vitare sub altâ
 Illice ; nunc viridi submittere corpus in herbâ ,
 Qua ripæ , & ripis natæ frondentibus umbræ

Æstibus

*Labuntur altis interim ripis aqua :
 Queruntur in silvis aves ,
 Fonteisque lymphis obstreput manantibus ,
 Somnos quod invitet leves .*

*At cum tonantis annus hibernus Iovis
 Imbres nivésque comparat ;
 Aut trudit acres hinc & hinc multâ cane
 Apros in obstantes plagas :*

*Aut amite levi rara tendit retia ,
 Turdis edacibus dolos :*

*Pavidumque leporem , & advenam laqueo gruem
 Iucunda captat præmia .
 Quis non malarum , quas amor curas habet ,
 Hæc inter obliviscitur ?*

Æstibus & medio suadent decedere soli.
 Interea gelidi fugiunt per gramina rivi,
 Arboribusq; vagantur aves : nemus omne querelis
 Personat : irriguo quā fons argenteus agro
 Labitur , attritos inter levis unda lapillos
 Obstrepit , & dulces invitat murmure somnos.
 At cūm jam pluviā , & nivibus, canāque pruinā
 Frigidus hibernum contristat Jupp̄ter annum ,
 Quæ non aucupiis , quæ non venatibus illic
 Gaudia proveniunt ? altis de montibus aëtus
 Fertur aper : frustrā ille animos , setāsq; comantes
 Arrigit , & spumis albet ferventibus ora ,
 Fulmineūmq; acuit nodosa ad robora dentem.
 Audaces instant Umbri , fortésque Molossi ,
 Albanūmq; genus , non certi cedere , quamquam
 Nunc hos obliquo , nunc illos dissipat īctu.
 Tantus amor prædæ est , & sævi gloria morsus.
 Nec minus & cursu juvenes jaculisque fatigant
 Setigerum : hortantur sese , & latrantibus addunt
 Cum clamore animos , dum tandem in retia tru-
 dant

Freudentem , & teretes nodos differre parantem.
 Accurrit viētor , splendentique ilia ferro
 Transadigit : lato sequitur de vulnere sanguis ,
 Procumbitq; ferox , & adhuc in morte minax sus.
 Forsitan & tutas placeat levioribus ire
 In prædas studiis. Venit hinc quoq; grata voluptas
 Ex facili capienda. Plagas & retia levi
 Distendit furcā , turdōsque invitat edaces
 Callidus , & sparsis incautos fallit olivis.
 Aut pavidum sequitur leporem , laqueōq; tenaci
 Strymoniam captat volucrem , jucunda laboris
 Præmia. Quis non hæc inter , quodcūmque ma-
 lorum [que ,
 Secum amor infelix trahit , invidiāmque metūm-
 Et spes ambiguas , & quas pudor ipse repulsa

Inge

*Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum, atque dulces liberos,*

*Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus latum pecus
Distenta siccat ubera,
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas appetet :*

*Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.*

*Non Afra avis descendat in ventrem meum:
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malve salubres corpori;
Vel agna festis casa Terminalibus;
Vel hædus ereptus lupo.*

*Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre proferantes domum!*

Videri

Ingeminat curas , & numquam longa fruenti
 Gaudia nubiferis tradit diffundere ventis ?
 Quid si contigerit priscis quoque moribus uxor ,
 Quæ castum servet thalamum , quæ rēmque do-
 mūmque

In partem juvet , & dulces educere natos ?
 Qualis erat Tatio quondam regnante Sabina
 Duratas callosa manus , aut Appula mater
 Sole rubens. Quid si , posito cūm fessus aratro
 Vir redit , illa focum lignis & cortice sicco
 Extruat , ac lento textis de vimine septis
 Includat lætum pecus , & turgentia siccet
 Uberta ? si , quamquam calices & pocula ponat
 Fagina , vina ferat , quæ dulci condita lenit
 Ipsa cado , mensisque dapes apponat inemtas ,
 Delicias faciles ? non me tum regia , non me
 Regum epulæ teneant. Per me conchylia testis
 Tuta suis , saxo maneat affixa Lucrino.
 Per me securus Calabro natet æquore rhombus ,
 Et sine fraude scarus depastas ruminet herbas ,
 Si quem fortè procùl flūtu tumefactus Eoo
 Adria jāctatum nostris acceperit undis ,
 Aut Tyrrhena fremens ad litora verterit Eurus .
 Non mihi tum Libye , non mollis Jonia pictas
 Mittat aves : tantum glauco mihi Palladis arbor
 Canescat fetu , pinguisque ministret olivas.
 Obvia me lapathi prato gaudentis aperto
 Herba juvet , malvaque leves , gravibusque sa-
 lubres
 Corporibus ; vel quæ lactens cadit hostia festo
 Termine sancte tuo , cūn te vicinia supplex
 Defixum colit , & fert frondente coronat :
 Aut mea , quod satis est , hilaret convivia cano
 Præda excussa lupo villis stillantibus hœdus.
 Ut juvat has epulas inter spectare bidentes ,
 Cum scelē è pastu referunt ! ut cruribus ægrè

*Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languida,*

*Positōsque vernas , ditis examen domus ,
Circum residentes Lures !*

*Hac ubi locutus fenerator Alphius ,
Iam jam futurus rusticus ,*

*Omnem relegit Idibus pecuniam ;
Quarit Kalendis ponere.*

AD POSTUMUM.

Mortem vitari non posse.

Horat. lib. 2. Ode 14.

Ehen fugaces , Postume , Postume ,
Labuntur anni : nec pietas moram
Rugis , & instanti senecta
Affret , indomitaque morti .

PARAPHRASES HORATIANÆ. 147

Ubera circumeunt! ut multo lacte gravatae
Ad mulctrām injus̄æ veniunt, gaudēntque levari!
Ut juvat ex agro reduces spectare juvencos
Longorum fessos operum, & grave robur aratri
Vomere suspenso attritâ cervice trahentes!
Ut juvat & vernas, numerosæ examina villæ,
Lucentes ignes circum lœtósque Penates,
Aspicere, agresti curantes corpora mensâ!
Dixerat hæc dives positis in fenore nummis
Alphius; atque aliud meditans, & totus in illo,
Damnabat tabulas, loculos damnabat & aurum.
Innocui ruris serò intellecta voluptas
Una est ante oculos, unâ suspirat in illâ.
Nunc placet arvorum cultus, nunc cultus habendo
Impensus pecori: subeunt modò fervida pleno
Musta lacu, modò qui pomis exuberat annus:
Et modò delctant saltus venat bus apti.
Omnia persuadent curas mutare priores.
Jamque emtrurus agros exacta relegerat æra
Idibus: at (victrix adeò natura recurrit)
Hæc eadem lucro servat, ponitque Kalendis,
Protinus agrorum oblitus, vitæque beatæ.

ILLUSTRIBUS, NOBILIBUS,
INGENUIS ADOLESCENTIBUS
CONVICTUS
ANTUERPIENSIS

SOCIETATIS IESU,

Ultima necessitatis utilem memoriam.

E Heu, præcipiti labuntur, Postume, cursu,
Postume, non umquam reddituræ tempora vitæ.
Nec pietas ullam rugis, tristique senectæ
Allatura moram est: tacitè properantibus annis

Non si tricenis , quotquot eunt dies ,
 Amice , places illacrymabilem
 Plutona tauris : qui ter amplum
 Geryonen , Tityonque tristi
 Compescit undâ , scilicet omnibus ,
 Quicumque terra munere vescimur ,
 Enavigandâ , sive reges ,
 Sive inopes erimus coloni .
 Frustrâ cruento Marte carebitus ,
 Fractisque rauci fluctibus Adria :


Frustrâ per autumnos nocentem
 Corporibus metuemus Austrum .

Visendus ater flumine languido
 Cocytus errans , & Danai genus
 Infame , damnatûsque longi
 Sisyphus Aolides laboris .
 Linquenda tellus , & domus , & placens
 Uxor : néque harum , quas colis , arborum
 Te , prater invisas cupressos ,
 Villa brevem dominum sequetur .

Absumet heres Cæcuba dignior
 Servata centum clavibus , & mero
 Tinget pavimentum superbum
 Pontificum potiore cœnis .

Illa venit, mutatque comas, animique vigorem,
Et tandem indomitæ, quamvis fortissima, morti
Corpora se debent. Nulla est fuga: lux semel
omnes

Summa manet. Non, si regem pallentis Averni,
Quotquot eunt soles, tauris placare tricenis
Institeris, votis fuerit locus. Ille ter amplum
Geryonen, Tityonque atro Phlegetonte coerces
Ferreus, & nullâ Superum exorabilis arte.
Omnibus huc iter est, qui terræ munere & aurâ
Vescimur: hoc omnes ad vertet portitor olim
Litore, sive erimus reges, inopésve coloni.
Falcibus & rastris, ne quem Mars perdat acerbo
Funere, depositos frustrâ mutabimus enses;
Néve sit exitio nautis, classésque virósque
Obruat, insanos raucus premet Adria fluctus:
Et modò dum nimio per inæquales autumnos
Frigore corripimur, nimio modò solvimur æstu,
Aëra non certum frustrâ metuemus, & Austros
Imbris, & nebulis, tepidóq; vapore nocentes.
Cocytii vada lenta, putri torpentina cœno,
Nulli non adeunda. Manent nos Belides illic,
Probrosum Danai genus, æternoque labore
Sisyphus Æolides alto ruitura volutans
Saxa jugo. Linquendus ager, dulcésque penates,
Et thalamus, formâque placens & moribus uxori.
Déque tot arboribus, quas ordine ponere longo
Cura fuit, non ulla teget, dominumque sequetur
Ulla brevem, nisi forte rogo statuenda cupressus,
Et viduâ figenda domo. Tum Cæcuba centum
Obsignata seris absumet dignior heres,
Magnarum non parcus opum: potioraque magnis
Pontificum cœnis, ac multo undantia luxu
Vina solum Pario constratum marmore tingent.



DE PARAPHRASI JUDICIA.

ET hæc quidem, Lectissimi Adolescentes, ad utilissima hujus exercitationis specimen aliquod sint satis. Neque enim, si disciplinarum omnium initia ad exemplum propositum conformanda sunt, eidem perpetuò insistendum. Pictores, dum in artis sue vestibulo adhuc harent, insignes aliorum tabulas mensuris ac lineis describunt & exprimunt; illud egesi, ingenio suo & inventioni obsequuntur. Inglorium est semper alienum laborem sequi. Volo igitur vos inventionibus & novis, & liberis, & amoenis, & variis, & qua cujusque ingenio consentiant, indulgere: at hoc numquam excidat, animum semper non nisi optimorum, quos Augustei & vi felicitastulit poëtarum lectione & alendum, & excitandum esse. Cur amplam illam & copiosam hereditatem, quam culta vobis legavit antiquitas, non adeundam putetis? Vestrum est quidquid in heroicis grave, in elegis tenerum, in idylliis simplex, suave in lyricis: omnium instituti heredes estis, dummodo utendi artem teneatis. Ars autem hæc in eo sita est, ut cum iis, quod antè ex Quintiliano monui, in eadem exprimenda sententia de victoria in certamen venire velle videamini; interdum etiam tanquam imitationis dissimulatione, ut peritus etiam lector nesciat, quò quis alluserit, quò ve aspirarit. Sine quosdam de ingenio suo, ut Aegyptum de Nilo, gloriarī, qua propter illum nihil calo, nihil imbris debeat: vos, quid optimis auctoribus debeatis, agnoscite, & ex hoc etatis & ingenii assurgentis flore überem nobis eruditioinis messem polliceri pergit, quam non modo Belgium, sed Hispania, Italia, Gallia, Germania, Britannia, ipsa etiam Gracia, unde huc confluxistis, exspectat.

ELEGIARUM
LIBER PRIMUS

ELEGIA I.

AD

ALEXANDRUM VII.
PONTIFICEM MAXIMUM.

Ejus auspiciis se nunc hos libellos in lucem dare, Pontificatum ejus alias à rebus maximis, & præcipue à conciliatâ Orbis Christiani pace celebraturum.

 Ota valent : neque vana canunt præfagia vates :
Orbis Alexandrum, quem sibi votit , habet.
Musaq; successu tanti lætissima voti
Gestit , & augurio pænè superba suo est.
Nec modò vulgari metuit : vulgata legetur
Illo , quo Numen credimus ore loqui.
Sive ea , dum culti timuit fastidia sæcli,
Erubuit doctas antè subire manus :
Sive metus , causâsque sibi mens finxit inanes,
Et potius velis defuit aura meis :
Tempus ad hoc mecum latuit , portuque resedit,
Nec fuit aadaces impetus ire vias.
Nunc animi venere : juvat nunc denique funem
Solvere : solvantein Roma timere vetat.

Ancora sublata est : terræ , portúsque valete :
 Iunus : habet ventos nostra carina suos.
 Afflat , Alexander , per te mihi leniter aura,
 Que celeret cursus , & mea vela juvet.
 Tu navem , quam Roma tibi , quam credidit æther,
 Et spem terrarum quæ vehit una , regis.
 Et facies non una maris , non una faventis
 Sideris arbitrio státque cadítque tuo.
 Jámque adeò , dum non timide navalibus exit,
 Da , precor , ô puppi dextera signa meæ.
 Non tamen ut pelago tecum decurrat aperto :
 Grandibus hæc velis ingredienda via est.
 Quid possint venti , nequid temerarius ausit,
 Parre aliquà veli navita sæpè notat.
 Me quoque non magnis juvat explorare libellis,
 Qui favor , aut Musas provehet aura meas.
 Sat mihi sit facili carmen deducere venâ ,
 Quod leviter , vacuo cùm licet esse , legas.
 Quale solet , dum res aliquid , tempúsque , locúscij
 Exigit , ad numeros sponte venire suos.
 Sat mihi sit caros , & nostris artibus æquos
 Carmínibus vates inserüisse meis ;
 Aut populo mitem pacis prætendere ramum ,
 Dùmque aliquid , lusus quidlibet esse meos.
 His animum mihi Musa levat , patriæque , meisque ,
 Quà licet , intentum non sinit esse malis.
 Sic aliquis , dum fortè vacat , dum civica cessant
 Munera , dum prætor , dum tria verba silent ,
 Si dedit aura viam , tuti legit æquoris oram ,
 Non ausus medio credere vela mari.
 Hoc tantùm spectat , gemitus , questúsque reorum ,
 Tædiāque , & curas in mare ferre suas.
 Olim forsitan erit , si non mihi lævus Apollo ,
 Altius ut liceat grandibus ire modis .
 Tunc ego , cùm meritis impleveris omnia , partem
 De multis unam , quo decet , ore canam .

Atque

Atque utinam , Divi , sit fas mihi munere vestre

Scribere , quod mediâ pace legatur opus !

Scilicet & Pacis mores , & munera dicam :

Ille mei titulus carminis unus erit.

Ne perdant populos , ne perdant otia reges,

Quæ populis , quæ sint regibus apta canam.

His ego, queis pulcras referant sine sanguine palmas ,

Regnâque protendant latius , arma dabo.

Nec minus edicam populis , quid fœdera firmet ,

Longâque securæ gaudia pacis alat.

O Pater , ô felix sæcli melioris origo ,

O spes , ô nostri , quem regis , orbis amor ,

Tu me tam vastum scribendi mitte per æquor ,

Et per quas facies da , precor , ire vias.

Non mea Tyndaridas cæcâ sub nocte requirent

Vela : reget cursus Chisia stella meos.

Stella novum cælo sidus noménque datura ,

Stella salutares inter habenda faces.

Quæ super impositos dum lustrat lumine montes ,

Monstrabit vigili , quam sequar , igne Pharon.

At , quæ picta meis exstabat pupibus , orbis

Per te servati tessera quercus erit.

Tu tantum Pax alma redi , securaque latis

Otia carminibus convenienter eant.

Foritan hæc aliquis Romana per oppida vates

Materia saltem captus amore leget.

Foritan & pulcer Ligeris , magnisque Garumna

Imponet Musæ Delia ferta meæ.

Quo se cùmque sinu , proiectaque litore conder ,

Non ingrata novi litoris hospes erit.

Tu mihi , Magne Pater , quoniam te vela dabuntur

Auspice , fortunæ causa ferere meæ.

ELEGIA I.

AD

PHILOMATHUM.

Literatum ejus otium celebrat.

Hoc magnis commune viris : pro tempore gaudent
 Ludere : sed lusus , quo celebrentur , habent.
 Aut condunt aliquid , seros quod vivat in annos ,
 Et repetunt , olim quas coluere , Deas.
 Aut decus , & pretium veri scrutantur , & aequi :
 Aut ventura dies quid feret , antè notant.
Hi , dum bella gerunt , silvas indagine cingunt :
 Mens tamen ad pugnas , ductaque valla reddit.
 Buxo alii singunt acies , imitamina belli ,
 Et recolunt , quo sint castra tuenda modo.
 Denique quidquid agunt , non perdunt tempora :
 secum
 Plurima quæ peragant , quæq; loquantur , habent.
Scilicet intendunt animum , pariterque remittunt ;
 Et geminâ curas utilitate levant.
Quid tibi , cùm populum fugeres , scenamque , fo-
 rūmque ,
 Quid tibi , Scipiade , tum quoque , mentis erat ?
Solus eras , solis captans in montibus umbras ,
 Nil minus in solis creditus esse locis.
Mens tibi , dum tacitè se percunctatur , & audit ,
 Quid pax , quid poscant arma , senatus erat .
Sic dum te conchas vidi Cajeta legentem ,
 Currebat vacuus , non sine laude , dies .
Lælius hîc aderat : nec tum sapientia Læli
 Destituit patriæ rémque decusque suæ ,
 Otia fecerunt , ut , qua subiere , subirent
 Mollius , in curas sufficeréntque novas.

Otia

ELEGIARUM LIB. I.

155

Otia fecerunt , ut res bellique , togæque ,
 Tot veteris possent temporis acta legi .
 Cæsaris annales (nihil est exactius illis)
 Inspice : quæ gessit bella , legenda dedit .
 Tam cultâ scripsit , scribendi commoda nactus
 Tempora , quâm forti gesserat arma manu ,
 Cùm benè consuluit Romanæ Tullius urbi ,
 Romano dignum Consule scripsit opus .
 Sæpè sub umbroso meditantem multa recessu
 Mirata est dominum Tuscula villa suum .
 Quid me , quid prohibes hæc inter nomina nomen ,
 O amor , ô Romæ cura , referre tuum ?
 Parce , precor , fasso : vix me tua jussa coercent :
 Vix patitur sese Musa retenta regi .
 Sic , ubi visa fera est , domino se vividus Umber
 Eripit , atque odio lora morantis habet .
 Sic fremit acer equus , pedibusque repagula pulsat ,
 Carceribus nondum cùm patuere fores .
 At non itrumpam , quâ non licet ire : nec ultrâ ,
 Quâm per te fas est , officiosus ero .
 Utque iubes , fileo : res non operosa silere est :
 Et , scio , parendo gratia major erit .
 Nota sequar , quæ sol vidit , fastique loquuntur ,
 Totâque virtutis conscientia regna tuæ .
 Roma mihi testis , quæ , quem circumspicit , orbem
 Dum regit , auxilio sæpius usâ tuo est .
 Hæc tibi i Martis opus , commissaque credidit
 arma :
 Et per te dederunt legibus arma locum .
 Hæc tabulis signanda suis 2 te ritè referre
 Jussit , & arbitrii rebus adesse sui .
 In te præsentem vidit 3 Ferraria Romam ,
 Et qui Romulidas , imperiumque regit .

Sortita

1 Philomathes Pontificii exercitus Commissarius .

2 Vtriusque Pontificia Signature Referendarius .

3 Ferraria Prolegatus Pontificius .

Sorita est ⁴ Melite , cui se bellique dicaret
Munera , mora tuâ sed fuit urna manu.

Quid referam , quæ nunc ⁵ Amasis , quæ Rhe-
nus , & Albis

Pacta vident serò fædera , pacta tamen ?

Sæpè Deum supplex , ut tandem regna coïrent ,
Sperasti lacrymis fæctere posse tuis.

Sæpè vocata tuis Pax & Themis aurea votis
Adfuit , & visa est signa secunda dare ;

Inter & amplexus , & dulcibus addita verbis
Oscula concordes jungere velle manus.

At tibi Relligio , tot avitis sedibus exul ,
Justior ante alias causa doloris erat.

Urebant animum tristes sine cultibus aræ ,
Templaque sacrilegâ diripienda manu.

Pejus erat bello tot iniqui præmia belli
Cedere , Romanis exitiosa sacris.

Et nisi quæ nostris Mavors extorserat aris
Redderet , oblatæ tu mora pacis eras.

Nec tibi testanti Superos , & justa querenti
Divitis eloquii non dedit arma dolor.

Dum mens hæc agitat , dum nil non providæ ver-
Dum bona persecutur , dum nocitura cavit ,

Et meditata diu rursum rursumque refingit ,
Nec tot regnorum ferre gravatur onus ;

Debuit hæc inter (quis enim neget otia fesso ?)
Interdum curis esse soluta suis.

Corpora debilitant ; animus quoq; frangitur illis :
Utraque secessu , quo releventur , egent .

Deficiet macie nullo non consitus anno ;
Da requiem , melius credita reddet ager.

^{Aerior}
⁴ Melite Inquisitor & Delegatus Apostolicus Co-
mitiis pro n. vo Ordinis Magistro ad normam Vr-
baniana Bullæ creando præfuit.

⁵ Nuntius Pontificius Coloniam , & inde Monaste-
rium pacis concilianda causâ missus.

Acrior ut redeat, colles saltusque Faliscos
 Pascitur è circi pulvere missus equus.
 Nec semper celeres decurrunt æquaora nautæ :
 Interdum fessos ancora jacta tñet.
 Exuit & miles galeam, clypeumque reponit,
 Signaque collecto robore vulta mover.
 Sic igitur post tot gravium molimina rerum
 Ingenio fuerant otia danda tuo.
 Et data sunt, sed quæ poterant labor esse videri :
 Seria sic latis mista fuere jocis.
 Scribere, ne tempus vacuo, res cara, periret,
 Quod te, quod curas fallere posset, erat.
 Cum coleres Vatis, coleres quoq; Principis artes,
 Materiam numquam non habuere manus.
 Seu foret exacto tecum Ferraria lustro
 Felix; felici plura vovebat amor :
 Seu funesta lues Italas vitiaverat auras ;
 Venit ab admonitu purior aura tuo.
 Lascariden Melite titulis & honoribus auxit ;
 Lascaridae dignus carmine crevit honor.
 Sæpe Amasis, Rhenusq; pater, quodcumq; canebas,
 A te suspensis mollior ivit aquis. [que
 Quod si iter ingresso & placuit cursimq; modum
 Scribere; sic Flaccus scripsit &c ipse suum.
 Sic labor ipse viæ terrâ pelagóque levandus,
 Sic tibi tu furtim decipiendus eras.
 Mira loquor, dum rector equos clamoribus urget,
 Totaque pulvereo turbine cæca via est,
 Dum ventis, dum nauta facit convitja remis,
 Dum strident funes, dum furit æstus aquis,
 Sumta tabella manu est, & qui tibi carminis, idem
 Exitus est longæ metaque facta viæ.
 Non tibi Romanis carmen provenit in hortis,
 Nec tenuit Musas Chisia villa tuas,

Mare

6 Multa & longinqua sua itinera descripsit inter proficiscendum.

Materiam dedit illa suo , non otia Vati ,
 Non inter libros , Pieridásque locum.
 Pieridum formosa domus , domus hospita regum ,
 Digna tui domini carmine , digna meo :
 Quis fuit ille dies , quo cælo nullus ab alto
 Gratior illuxit , candidiorque tibi ?
 Quis fuit ille dies , quem ne gravis obruat ætas ,
 Æternis referent marimora cæsa notis ;
 Quo tibi majestas sese Romana 7 videndam
 Obtulit , & limen contigit ipsa tuum ? [lo,
 Hic fuit : hic magnus fedit Pater : hæc humus il-
 Cui figunt reges oscula , pressa pede est.
 Hoc nemus , hunc collem subiit : hic frigus , &
 umbram
 Fons dedit : hæc forsan præbuit herba torum .
 Forsitan hic faciles dedit advenientibus aures ,
 Addidit & facili munera multa manu .
 Forsitan hic illi Tyrio conspectus in ostro
 Prælegit regum scripta precésque 8 Nepos .
 At tu non uno celebrata es carmine , villa :
 Nec quæ lux celebrem redderet , una fuit .
 Etrusci fecere Duces 9 tibi nomen , & ortæ
 Lotharidūm matres , Austriadūmque domo :
 Roboreūmq; genus , 10 tum spes patriæq; patriaque
 Unica ; mox , cheu ! justus utrique dolor .
 Per juga , per saltus cervos aprósque secuti ,
 Dein hilares mensis accubuere tuis .

Vos

- 7 In villâ Chisiâ tertio à Senensi urbe lapide ex-
 ceptus hospitio Paulus III. Pont. Max. anno 1541.
- 8 Alexander Farnesius Cardinalis , Pauli III. Nepos .
- 9 Anno 1622. Magnus Etruria Dux , Frater , Pa-
 trius , Mater Austriaca , Avia Lotharinga , &
 Vrbinas Princeps eò diverterunt animi causâ .
- 10 Ubaldus Roboreus postremus Vrbini Dux : quo ex-
 tineto Ducatus , utpote beneficiarius , ad Pontifi-
 cem Romanum rediit .

ELEGIARUM LIB. I. 159

Vos juga, vos saltus, regum memoranda voluptas,

Vos dulces latebræ, tritaque saxa feris,
Vos virides salvete aditus : salvete penates,

Et domus hospitio nobilitata tuo.

Fortunata domus, quæ, dum Farnesia vivent

Nomina, dum Tuicas fama loquetur opes,
Urbiniunque sibi raptum lugebit Ubaldum,
Ingenio Vatis clara ferere tui.

Tu Luculleas supra memorabere villas,

Quæque Academeo nomine nomen habent.

Porticibus quicunque tuis successerit hospes,

Cur sis, quod canimus, nomen adepta, leger.
Marmora sunt illuc decorum referentia causas,

Pulcra; sed in famam non satis ampla tuam.

De te nunc primus, de te nunc audiet orbis

Ultimus, & Vatis fama, futura tua est.

Excipe Vatis opus, victuros, Roma, libellos

Excipe: fint illo, quem meruere, loco.

Ipsaque quæ servant Urbani scrinia Musas,

Has etiam servent: has locus ille decet.

Si fuit ingeniis olim concordia junctis,

Si fuit ejusdem cultor uterque sacri:

Nunc quoque conjungi par est, discrimine tantum

Dissimiles uno, cetera laude pares.

Quis scit, an adjicient triplicem quoque fata tiam,

Romulidisque Pium Sena datura novum est?

Non aliena cano. Quædam præfigia 11 Quercus,

Et vigil incumbens Montibus ignis habent.

Cetera Divorum tabulis incisa leguntur:

Felix, qui terris proferet illa, dies!

11 Philomatis insignia sunt Quercus, & montes
super quos eminet stella. Malachias in Prognosticis Pontificum; Cufos Montium.

AD

FRANCISCUM JOAN-
NEM DE ROBLES,
E COMITIBUS D'ANNAPES,
IPRENSIUM EPISCOPUM.

*Cum post amplissimos honores in Ecclesiâ, Republi-
câ, Aulâ, Academiâ integerrimè pru-
dentissimeq; gestos, Bruxellis in Sacello Au-
lae, cuius supremam präfecturam gesserat, co-
ram Serenissimo Principe Leopoldo Guiliel-
mo Austriaco, v. Idus Octobris, Anno
M. DC. LIX. inauguraretur.*

*Ad gentilitiam ejus tesseram Quercum &
Leonem alludens, Iprensibus gra-
tulabatur.*

DUm bona verba novi titulus sibi poscit ho-
notis,
Nec patitur Musas lata filere dies,
Non longinqua sequar. Votis, & plausibus aptum
Carmen erit clypeo tessera sculpta tuo.
Quod plausus, quod vota mihi, quod verba mi-
nistret,
Quercus, & erecti forma Leonis habet.
Sunt animi, sunt hæc rerum simulacula tuarum,
Quæ capiti vittas imposuere tuo.
Erige, dum veteres pellit nova causa dolores,
Erige detersis fletibus, Ipra caput.

Orba

Orba diu Patrem , qualem tua vota ferebant ,
 Excipe : jam veniet , jam tibi tutor erit.
 Quē præfert clypeum , veterum gestamen avorum ,
 Aspice : præsidii pignus & omen habes .
 Atque adeò jam nunc quernâ de fronde corona
 Sublimes templi pendeat ante fores .
 Augurium felix ! foribus prætexta corona
 Servatos cives arguet hujus ope .
 Ne tibi , ne Graiūm subeant oracula quercus :
 Certius hic aliquid , quodque sequare , dabit .
 Utque subinde sacrâ resonant examina queru ,
 Corticibūsque fluunt aurea mélla cavis :
 Sic , quod amara dies , aut noctis amrior hora
 Advehet , alloquio leniet ille suo .
 Mellea vox illi est : animus quoque Dulcius illis
 Attica nil querno cortice condit apis .
 Quercum alias spoliis victor fulgentibus ornet ,
 Et titulo truncum signet & arma suo :
 Hic Erebi franget vires , & claustra revellet ,
 Et statuet magno digna tropæa Deo .
 Non frustrà Libyci clypeo gerit ora leonis :
 Non frustrà magnos laudibus æquat avos .
 Nec breve , nec nostrum est , quid gens Roblesia
 geslit ,
 Dicere. Mæonii pectoris ille labor .
 Conantem me frangat onus . Scit i Sicelis ora .
 Scit Melite Scythicâ pænè subacta manu .
 Illius experta est animos Tyros 2 altera , quæque
 Tum sibi visa fuit Belgica tota capi .
 Hei mihi , qualis erat , quem dum Farnesius amnem
 Insidet , in mediis abstulit ignis aquis !

Adna-

- ¹ De his quæ hic tanguntur , vide Allocutionem Prophæticam Lib. 2. Heroicorum .
² Antuerpia : cuius obsidionem sub principe Parmensi comparat Strada noster cum illâ , quâ Tyrus Alexander Magnus cinxit .

Adnabat prono fatalis machina cursu,
 Cùm subitò flamas , crebraque saxa vomit.
 Fit fragor : immugit cælum : fuit ignibus unda:
 Vix indignantes sustinet agger aquas.
 Et simul Heroëm plus quam Vulcania pestis
 Corripit , exitiis involuítque suis.
 Ad proavum laudes hæc per vestigia tendit,
 Cui modò dant nomen fortia facta , 3 nepos.
 Artesiam nuper (belli fortuna tulisset)
 Pars debellantum nunc quoque magna foret.
 Laudarunt animos hostes quoque quina ferentis
 Vulnera , quaæque ipso pulcra fuere loco.
 Hæc alii : nos sacra vocant certamina. Non est
 Hac lævior pugnâ dimicuisse labor.
 Acrius hic hostes instant : majora petuntur
 Præmia : flebilius , si qua ruina venit.
 Ah quoties aliquis nec vim malè cautus apertam,
 Nec satis insidias armaque tecta cavet !
 Ah quoties aliquis , dum spes jam certa triumphi,
 Forsitan & curæ est pompa paranda , perit !
 At tu quid mediâ , dum te Leo dicit , arenâ
 Victorem dubites , Ipra , referre pedem ?
 Ipsa etiam timidos sequitur Victoria cervos,
 Fortior exemplo dum præxit arma leo.
 Ille suos factis melius , quam vocibus urget ,
 Nec cogit fortes esse , sed esse facit.
 Pone metum : casus cùm dux tuus ibit in omnes
 Prævius , ut te sis fortior ipsa , dabit.
 Illius æternis florebunt limina fertis :
 Et lauro semper proxima quercus erit.
 Altera devicti , quo non est sævier , hostis ,
 Altera servati tessera civis erit.

³ Michaël de Robles, Comes d' Annapes , cuius virtutem bellicam breviter attigimus loco in precedenti pagina annotato.

ELEGIA IV.

*AD ILLVSTRISSIMVM ET RE-
VERENDISSIMVM*

F E R D I N A N D U M
A FURSTENBERG,

S. D. N. ALEXANDRI VII.
CUBICULARIUM INTIMUM,

CANONICUM PADERBORNENSEM, ET
HILDESIENSEM,

*In illud Ciceronis, quo poëtas omnes ait inter-
se dissimiles esse, sed ita tamen, ut nemi-
nem sui velis esse dissimilem; adeoque pa-
rem pœnè laudem in dissimili scribendi ge-
nere iis tribuendam esse. Lib. 3. de Orat.*

Sic tua Romano celebretur Musa theatro,
Nec minus Arctoo nomen ab orbe ferat:
Utt bi magnorum laudantur carmina vatum,
Quos vetus, & veteri Roma secunda tulit.
Non res, non numeri, non impetus omnibus
idem:

Omnibus ex merito laus tamen æqua suo est.
Pasceris ingeniis, & te non unâ moratur
Gratia: quisque suâ, quâ valet, atte placet.
Nos quoque, nos tecum non causâ tangimur unâ,
Cur aliquid dignum laude putemus opus.
Inter tot species quid non Natura decoris,
Cum variis terram floribus ornat, habet?
Hic est auroræ, puri color aeris illic:
Hic pallet: nitet hic: hic rubet: ille viret.

Dissi-

Dissimiles quamvis , nec sit decor omnibus unus ;
 At rapit hic oculos , & rapit ille meos .
 Lilia me capiunt albo , vaccinia nigro :
 Quo flos me capiat discolor alter habet .
 Frondibus arrectis placet hic , placet ille repandis ;
 Et forma , in dubio est , hæc sit , an illa prior .
 Hic quia suavè rubet , gratumq; exspirat odorem ,
 Fragrantem d'gitis subsecuisse velim .
 Quis violas gratâ pictas ferrugine dannet ,
 Gratior albentis sicuti forma rosæ est ?
 At minor hortorum est , quam Pindi gloria nostri .
 Hic viget ingenio quisque poëta suo .
 Ille leves elegos , levibus solatia curis ;
 Fortia Mæoniis hic canit arma modis .
 Musa dedit laudes aliis pugilumque , Deumque ,
 Liberaque impulsâ vina referre lyram .
 Scenam alii socco subeunt , altōve cothurno :
 Et plausu resonant quæque theatra suo .
 Nunc Troas , Thebæq; placent , & barbara pellex ;
 Nunc fallax servus , difficiliisque pater .
 Sunt quos blanditiæ , sunt quos irata Lycambe ,
 Tinctaque mordaci carmina felle juvant .
 Nil non dissimile est : res est liberrima carmen .
 Non aliter Musæ scribere quemque velint .
 Quid prius est illo ? quid & hoc , quid cultius isto ?
 Confer : erit longæ res dirimenda moræ .
 Non , si Pelides æternum nomen Homero ,
 Simichidæ nullum Daphnis habere dedit .
 Sedibus exactos cantu celebrare tyrannos
 Non erat ingenii , Lesbi puella , tui .
 Quid tamen Alcæo yates celeberrima debet ?
 Num minus ardoris , num minus artis habet ?
 Si fuit Achilocho pugnax & liber iambus ,
 Quid mirum ? justus ceperat arma dolor .
 Dum celer in pugnas fertur , dum cornua sumit ,
 Deliciis potuit scilicet esse locus .

Deliciis locus aptus erat , cùm Cypris Adonin
 Flevit , & in questus ingeniosa fuit :
 Aut inter calices citharam cum carmine movit
 Vincta celebratis Teïa Musa rosis.
 Aptabat nervos , ut res & nomina regum
 Diceret : at nervos attenuabat Amor.
 Materies placuit fidibus levioribus apta ,
 Cùmque suo Bacchus munere carmen erat.
 Et modò parvus Amor , matri sua vulnera monstrás,
 Saucius illacrymat , séque perisse putat.
 Et modò dicit apes parvæ genus esse lacertæ ,
 Quæ circum flores , & thyma summa volet ,
 Quæ petat incautos , quæ venis fixa relinquat
 Spicula , quæ mortu virus habente necet.
 Et modò materno monitu non mitiùs uri
 Credit , quos arcu læserit ipse suo.
 Quis tenues lusus , & læti pectoris ignes
 Improbet ? à nobis sit procùl iste furor.
 Sculpsérunt Alciden aliis , Lapithásque bimembres ,
 Aut , in Titanas cùm movet arma , Jovem.
 His magnos membrorum artus , his ossa , torosque ,
 His dederit sœvis lumina torva minis ;
 Huic etiam fulmen , semiustaq; fulmine monstra ,
 Impetere aggestis montibus ausa Deos.
 Tu meliùs pueri molles , Polyclete , capillos ,
 Impubésque genas fingere doctus eras.
 Ducebas meliùs teneros de marmore vultus ,
 Ascanii quales , aut Ganymedis erant.
 Si quis , ut in vulgò , rudis & sine pectore judex ,
 Si quis , qui de te plura requirat , erit ,
 Desipit , & nescit , victori debita quæ sint
 Præmia , dum primas qualibet arte ferat. [lem ,
 Quis Zeuxin , nisi mentis inops , dum laudat Apel-
 Arguat , & similem non velit esse sui ?
 Pinxerat , & pictis veras simulaverat uvas ,
 Uváque deceptas picta trahebat ayes .

Naturæ simularat opus. Quid defuit arti?

Quis gradus ulterior, quem sequeretur, erat?
Ille ego sim, cuius frondes laudentur & umbræ,
In tenui quamvis hæreat ille labor.

Ille ego sim, cuius vano quæ picta rubescit

Uva mero, captas fallere possit aves. [nos,
Certè ego nil magnum cecini: non Musa cothurni.

Non ausa est gravibus tangere bella modis;
Non mores, Natura, tuos, & semina rerum.

Angusta est nostris area trita rotis.

Et tamen in seros hæc Fürstenbergius annos,

Quæ modò cùmque damus, vivere posse putat.
Si plus, quām par est, tribuit mihi, viderit ipse:
Judicii culpam diluat ipse sui.

ELEGIA V.

CAROLO PHILIPPO DE RUBEMPRE, COMITI DE VERTAIN, &c.

SUPREMO BRABANTIA VENATORI.

ET

MARIÆ D'AVERHOULT, DOMINÆ DE HELFAULT, &c.

EPITHALAMIUM.

Dicta dies fulsit: veniunt ad fœdus amantes:
Juratham thalami dantq; petuntq; fidem.
Ite Dionæi, genialia numina, fratres,
Sertaque formosis myrtea ferte comis.
Ite: sonent arcus, delectaque tela pharetris
Spargite: sollemnes ventilet aura faces.

Et choreis locus est. Rubro patet area prato.

Ite licet : pulso ter sonet icta pede.

Vos illuc festivus Hymen , vos pronuba Juno
Evocat , & testes fœderis esse jubet.

Hic laudet thalamos : titulos hic laudet avitos ;
Pars celebret votis , auspiciisque diem.

Hos juvet accensis nuptam deducere tædis ,
Quò formosa novo jam parat ire viro ,

Audior : en dicto citius Cythereia juventus
Cum face , cum jaculis , cum fidibusque venit.

Nulla mora est, præeūt : sequitur pulcra maDivos
Quaque venit , læto germine vernal humus.

Hic niveos , croccos alibi sine semine flores
Parturit : hic casiae , multaque nata rosa est.

Haret amans , positoque genu fert oscula terræ,
Qualia te matri , Brute , tulisse ferunt.

Et simul : O tellus , inquit , gratissima salve.
Tu mihi , tu biferis anteferenda jugis.

Aligeri terram pariter , florisque salutant.
Atque aliquis , votum dum fovet ipse suum :

Gaudet ait , & quid humus , quid prati gleba rubetis ,

Lætaque portendant germina , nupta vide.
Omina sunt aliquid : venturi præscia scepè

Omina terra dedit : credita terra Dea est.
Formosæ sobolis , venturorumque nepotum

Spem tibi non dubiis præbuit illa notis.
Desierat : pharetrâaque puer concussum & arcum ,

Excusitque leves tærque quatérque faces.
Veraque præmonuit : sed nec mihi vana monenti

Certior ex alto causa petenda venit.
Nec mihi Saturni veteris memorabitur ætas ,

Cum thalami nondum , tædaque nota forent.
Siqua fides , puerum quercus laurique ferebant ,

Et vivo gravidus pondere truncus erat.
Stabat & ad truncum mitis Lucina dolentem ,

Exceptumque sinu dulce fovebat onus.
Arca-

Arcades hæc memorent silvis & quercubus otti:
 Serviet augurio fabula nulla meo.
 Post Chaos, ut primùm volucres agitabilis aër
 Ceperat, & pisces æquora, terra feras,
 Natus homo est: &c, si generis primordia nostri
 Quærimus, è rubrâ semina duxit humus.
 Campus erat: campo, quot habet, Natura colores
 Sparscerat: ipsa sibi ver faciebat humus.
 Fons sacer in medio: fonti manantia longè
 Flumina, bis geminis flumina scissa vijs.
 Ripa viret musco: campus viret: herbidus omni
 Parte color, si non ipsa ruberet humus.
 Creditur hîc concors unâ jacuisse sub umbrâ
 (Hæc pax illius temporis) agna lupo.
 Creditur hîc serpens, & nondum letifer hydrus
 Nexibus aut morsu nil petuisse suo.
 Non hîc herba nocens, non radix ulla legenti
 Obfuit: ignotum toxica nomen erant.
 Hoc, Adame, tibi datus est natalis in agro:
 Inde (quis hoc nescit?) postera turba sumus.
 Credite posteritas, rubræ mortalia glebæ
 Corpora se debent: ducimus inde genus.
 Hoc caput, hæc cervix hæc vincita tot artubus ossa
 Hi nervi, glebæ massa ru'bentis erant.
 Ille crux, rubris humor permistus arenis
 Olim erat: in venis nunc rubet ille suis.
 Inde Rubempreus (quamquam felicibus armis
 Extulit antiquam Martia fama domum,
 Et proavis nomen, quod & hic virtutibus auget,
 Decolor hostili sanguine terra dedit)
 Inde Rubempreus, terræ natalis & ortus
 Conscius, à rubrâ nomina servat humo.
 En age, curre citis (quid vota moraris amantum?)
 En age, curre citis, candida Luna, rotis.
 Cum plenum novies repararis cornibus orbem,
 Quæ canimus, rursum sunt habitura fidem.

Tunc

ELEGIARUM LIB. I.

169

Tunc quoque de rubro prato se parvulus heres
 Efferet : hæc prati florida meslis erit.
 Et tamquam norit, florem cui debeat ævi,
 Ad patrem, & geminos brachia tendet avos.
 Tendet, & obliquis matrem spectabit ocellis,
 Invadetque genas, suaviolümque dabit.
 Crescat, io crescat rubri seges aurea prati,
 Et domus in titulos surgat avita suos.
 Ridet Amor : sternutat Hymen : Cythereïa mater
 Augurium niveas edere jussit aves.
 Nec gemmæ tantum pro pignore dantur amoris:
 Aurea conjugio vellera spondet Amor.
 Quæ pendent i patriis, veniat modò senior ætas,
 Pendebunt humeris vellera, Sponse, tuis.
 Felices animæ, que is tantis Numina firmant
 Ominibus pactam pignoribüsque fidem !
 Vivite concordes, & quæ modò vota canendo
 Dicimus, in myrti cortice scribat Amor.
 Vivite: quótque dabunt hæc olim fœdera natos,
 In spem perpetuæ posteritatis eant.

¹ *Philippus de Rubempré, sponsi parens, à Philippo IV.*
Rege Catholico donatus aureo Vellere; uti ē anno
1473. à Carolo Audace, Duce Burgundia, Ioan-
nnes de Rubempré.

ELEGIA VI.

A D

LUDOVICUM DE ROMER,
 ANTUERPIÆ APUD FACONTINAS
 SACELLUM S. JOSEPHO ERIGENTEM,
 ET IN EO SEPULCRUM DEFUNCTÆ CONIUGI
 SIBIQUE COMMUNE.

Male profecto, Vir Nibilissime, de animorum
 immortalitate senserunt, qui sepulcri jacturam

H

facilè passi sunt, & cum Theodoro Philosopho nihil interesse putaverunt, humine, an sublimè corpora nostra putrescerent. Cum enim in confessum veniat mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationēmque vita; par est, ut, cum alteram homini partem ab ejus excessu alibi vivere; alteram, quæ in terris superest, denuò victuram credamus, hanc interea, dum illucescat ille dies, supremis honoribus terra mandatam ab injuriis vindicemus. Quam pietatem non modò consensus omnium gentium probat, sed Natura etiam docet, quæ & sepulcrorum religionem omnibus indidit, & sapienter pœnas eorumdem violatoribus judicio nunc occulto num manifesto persequitur.

Crede mihi, vires aliquas Natura sepuleris

Attribuit: tumulos vindicat Umbra suos.

Ita quidem Seneca: sed cum idem ipse nulli reliquias suas commendaret, & quemadmodum ex barba capillos detonsos negligimus, ita corpus ex sua Porticus disciplinā negligendum esse censeret, vanissima sua opinioni Naturam repugnare hoc versus professus fuit. Tu vero non Naturam tantum, sed Virtutēm consulisti, cum sepulcrum, quem corporis portum Ennius apud Ciceronem appellat, carissimi conjugi tibique erexisti, ubi placidissimā velut in statione corpora vestra quiescerent, non ut quassatae naues, quæ ut semel cariem traxerunt, sitūque exstinent, redintegrari non possunt, sed quæ instaurandæ, & in tranquilliorē inueniendæ sunt portum coronatae. Sic opes effundere, non est in titulum sepulcri laborare, sed conceptam de immortali beatāque vita spem publicè prodere. Corpus creinari suum primū voluit L. Sylla, veritus ut jaceret à morte integer, qui non modò non integrè vixerat, sed omnium ritu

ritus odium presagiebat expromendam in se Marianarum partium crudelitatem, quam ipse exprimit in Marium. Quod quamquam exemplum apud eos postea valuit, quibus, cur id sequerentur, causa nihil erat: tamen eorum hoc fuit, qui extremum illum rogam confectorem consumtorumque omnium esse credebant. Tu melius, qui tuum suavissimumque conjugis corpus lapide sepulcrali & illo quidem splendido atque magnifico tegi vis: quippe qui non ignores illum non ossa tantum, sed integra eternumque uitura corpora redditurum. Hac tu te spe sustentas ac reficias, & Deo, qui, quam tibi dederat, cum visum fuit, ad meliora premisit, te permittis. Quemadmodum ad epulum si vocatus sis, è fercularum varietate & argenteâ suppellectile mensis illata delectationem capias, neque convivatorem arguas, si illa tempore suo tolli jubeat: ita cum tibi, quod carissimum fuit, sublatum vides, illi, cuius imperio id factum fuit, acquiescis. Est interim orbitatis tuae non leve solatum pietas illa, quam quidquid adhuc illius in terris reliquum est, honestissimo modestissimique monumento composicu[m], ac S. Iosepho in tutelam traditum servas. Conjunctus est cum hac tuâ in defunctam pietate religiosissimus in sepulcri tui tutorem animus, quem inter cineres etiam tuos superstitem semper intuebitur ac laudabit Antuerpia. Adeoque increbescet illa per te huic urbi laus, quae Athenis olim tributa fuisse legitur. Quarum etsi tantus fuerit splendor ac decor, ut de earum possessione, propter pulchritudinem, etiam inter Deos certamen fuisse proditum sit à Tullio: tamen T. Pomponium Atticum, ut idem narrat, non tam opera magnifica delectabant, quam recordatio summorum virorum, quorum illic sepulcra studiosè contemplabatur. De Antuerpiâ non potest ulla inter Galites esse

contentio, qui primas in hac elegantissimâ urbe partes Regine sua lubentes volentésque concedunt: tamen id affirmare meritò posse videor, hanc nunc Virgini multò esse quām anteà gratiorem, quòd sponso quoque suo adem hic à te magnificam apud Facontinas Virgines à fundamentis excitatam videat, è quā ille eādem quā sponsam olim suam tutatus fuit curā, nunc templum urbis primarium ejusdem nomini ac cultui dedicatum tubatur. An verò ullus esse potest dubitationi locus, quin sua etiam tumulo vestro dignitas incolmis permansura sit? Quod si, ut aiebat idem Tullius, sepulcra fiunt sanctiora vetustate, quis dubitet, quin allatura sit dies sanctitatem tuo? Dum enim Virgini in hac urbe sibi dedicatā suus erit honor, dum pro splendidissimo illius templo S. Iosephus stabit, stabit quoque pro monumento vestro, atque illud & què, ut aras suas à te positas tuebitur ac vindicabit. Quem animi tui sens m cùm exploratum haberem, ego illum hisce versiculis explicandum sumsi, ac te loquentem induxi. Tu te audi.



BENE

BENE SIT MANIBUS TUIS
 CONJUX CARISSIMA
 CATHARINA HAECX,
 QUOS UT FIDÆ TUTELÆ COMMITTAM,
 H A N C
S. JOSEPHO
 ÆDEM ARAMQUE MARMOREAM PONO :
 MEOSQUE SIMILITER MANES,
 CUM TE ORDINE,
 QUO NATURA JUSSERIT , SEQUAR,
 EIDEM RELIGIOSE COMMENDATOS VOLO
LUDOVICUS DE ROMER.

Dilecti Manes, & adhuc pars altera nostri ,
 Occurrens animo nocte diéque meo :
 Si me, dum poteras aliquid mor bunda tenere ,
 Gaudebas gelidâ posse tenere manu :
 Si tibi, cùm venæ fugerent , frigusque subiret ,
 Ultima producta est me revocante dies :
 Si legi fugientem animam, si lumina pressi ,
 Pompáque non tacito funere ducta tibi est :
 Si merui : procùl Elysio lucisque beatis
 Huc ades, & cineres læta revise tuos.
 Non ego te, mea lux, miseris urgere querelis ,
 Nec tua, quod nolis, plangere fata velim .
 Nec, quæ deposui, rursum lugubria sumam ,
 Nec viduæ referam commoda rapta domus .
 Luximus : effusis & cùm ferretur habenis ,
 Sæpè tibi dolor est, sæpè probatus amor .

Nunc, quamquam lacrymas nondum consumsimus
omnes,

Legitimo expleta est nostra querela die.

Aspice me dices : Non sunt hæc ora dolentis.

Lætitia vultus signa recentis habet.

Aspice, lætitiae causam, quam ponimus aram :
En nitet, & fato discolor illa tuo est.

Este procul vitta tristes, atræque cupressi :
Funestas ornent tristia signa domos.

Hic mihi verbenas, pueri, casiamque, crocimque,
Hic mihi de teneris mollia ferta rosis.

Læta dies venit : Josephi tangimus aras :
Omnia festivis fint operata sacris.

Tura focis, date tura boni, linguisque favete,
Et pariter votis addite vota meis.

Et : Benè Iosepho, benè per quem ponitur ara,
Dicite, jactatis ad bona verba rosis.

Tuque adeò, sacri quæ pars es proxima nostri,
Annue, per si quid dulce piūmque meum est.

Se tibi festa dies, tibi se sacra annua debent,
Araque, & artifici marmora sculpta manu.

Hic tua condidimus, Divisque sacravimus ossa :
Hic primum lacrymas illa bibere meas.

Ille cinis tuus est, qui, si quis sensus in illo,
Josephi recubat mollius ante pedes.

Hæc æterna tuo maneat tutela sepulcro :
Credita non ulli certius esse potes.

Virginis & Pueri, queis nil augustius orbis,
Ipsaque viderunt sidera, tutor erat.

Nec minus hic pro te stabit : dum proteget
aras,

Altera de tumulo cura futura tuo est.

Non sinet ut vacuâ cineres spargantur arenâ,
Ossaque in incertum casus & Auster agant.

Tristia longè aberunt serpentum sibila, longè
Ultrices Furiæ, tergeminusque canis.

Et benè provisum est, illo mea vota probante,

Ut sit honoratus, qui tegit ossa, lapis.

Fortunata, tui quæ tam secura sepulcri es!

Præsidio est Umbræ Numen & ara tuæ.

Nec tibi malu'rim, quos olim Caria sumtus,

Aut quos Assyrius duxit ad astra labor.

Nec tibi, quos centum celebravit Græcia ludos,

Aut in Romanâ nomen habere viâ.

Longa dies illis furtim subduxit honores:

Longa dies illas solvit, & ussit opes.

At non venturis & nos reticebimus annis,

Qui cineres tanti duximus esse tuos.

Annua donec erunt Josephi sacra, sub illâ

Compositos condet mole decenter humus.

Cumque suis stabunt monumenta perennia Divis:

Annos relligio dum feret, illa ferent.

Hos Pater inspirat sensus, his pectora compleat,

Et non à Musis spiritus ille venit.

Fallor? an ipse suas cælo descendit ad aras,

Signaque præsentis numinis ipse dedit?

Ter cælum, ter visa sacri discedere tecti

Culmina: ter rutilo luxit ab igne locus.

Térque repercussâ radiarunt marmora flaminâ,

Flammâque ter sacros lambere visa focos.

Salve magne Pater, cuius servata labore est

Virgo digna viro, major utroque Puer.

Sancte velis (nam te cælo dare jura, loquuntur)

Hunc caris lætum manibus esse diem.

Ut tegerentur humo (tua nam custodia tanti est)

Hæc tibi perspectus templa dicavit amor.

Pro quibus officiis, si non ingrata, paciscor,

Conjugis ut custos, sic meus esse velis.

Hæc mihi primus amor: quæ pressi lumina testor:

Hæc mihi, fint testes ossa, supremus erit.

Sic olim tumulo cineres miscebimus uno,

Junctaque semper erunt illius ossa meis.

Atque (ita sim felix !) hæc ara tuebitur ambos,
Unaque conjugibus fata duobus erunt.
Quid referam meritis ? minus est quodcumque re-
pendam.

Sit mihi, Dive, tuo fas in amore mori.
Eveniat (neque me quisquam revocare laboret)
Eveniat nostris manibus illa dies.
Non cinis extinguet nostros jam frigidus ignes :
Ossibus ille tui vivet inustus amor.
Pars ego nunc rerum, fateor, sum parva tuarum,
Atque ita, dum vivis annumerabor, ero.
At n̄ que mors faciet, ne non, cùm venerit illa,
Me pia posteritas nesciat esse tuum.
In lapide hoc tuus esse legar, tumulique feretur
Gloria tutelæ munus opusque tuae.
Atque aliquis, dum fortè tuas prostratus ad aras
Perleget inscriptas, quas habet ille, notas :
Tam benè qui de te, dicet, voluere mereri,
Feceruntque suâ te pietate suum ,
Valle Facontinâ tumulus quos junxit amantes ,
Vallibus Elysii hos quoque jungat amor.

ELEGIA VII.

A D

SIDRONIUM HOSSCHIUM
E SOCIETATE JESU.

Cum alter alterius recognoscendis versibus
mutuam navaret operam amicissimâ
libertate.

NE vivam, neque vita meos quæcunque libellos
Excipiat, superet tempora parva meæ ,
Te mihi, Sidroni, vivit si caricr alter,
Parsque sodalitij dulcior ulla mei est.

Tu

Tu mihi primus amor : te judice glorior uno
 Non aliquem vates inter habere locum.
 Tu mea cùm legeres, quod non sperare jubebas?
 Judicio crevit spésque animúsque tuo.
 Nec tamen interea, ne non me cultior irem,
 Admonitu non est facta litura tuo.
 Non tibi libertas deerat : mutanda notabas.
 Sæpè mihi facilis, sæpè severus eras.
 Sæpè suo invitam resecabas corpore partem.
 Libertas Musis profuit illa meis.
 Incisis melius veniunt in vitibus uvæ,
 Incisis formam sepibus hortus habet.
 Nec, nisi cum loliis steriles vellantur avenæ,
 Sperato messem fenore reddit ager.
 Nec, nisi silvestres rami cädantur & umbræ,
 Insta mutatae mala tulere pyri.
 Non mihi scribendi veniat tam dira libido,
 Ut mea contemto judice solus amem.
 Sic se litoreâ cùm vidit solus in undâ,
 Thersites facie credidit esse bonâ.
 Sic quem Nerine tantum Galatea videndo
 Horruit, est formæ captus amore suæ.
 Credidit & lumen, mediâ quod fronte gerebat,
 Credidit hirsutas & placuisse comas.
 Non hæc antiquos tenuit fiducia vates.
 Ingenio timuit credere quisque suo.
 Cynthia laudata est : sed laudatissima quamvis
 Cynthia, judicio subdita, Naso, tuo est.
 Nec puduit Flaccum, jussos licet icta referret
 Chorda sonos, aures consuluisse tuas.
 Sæpè suas etiam volucres tibi legit, & herbas,
 Quæque Mycenæis induit arma Macer.
 Sæpè, Perilla, tuum limâ mordaciter idem
 Rasit, & incidi reddere jussit opus.
 Non, ubi cessaras, quamvis cessasse puderet,
 Delictum Musa est inficiata suum.

Cedere malebas, quām non admissa fateri,
 Nec tibi non laudi cognitus error erat.
 Ah valeat, sibi qui parcit, séque & sua solus
 Æstimat, atque odio verba monentis habet.
 Ipse sibi plausum geminet, ne etatque coronam,
 Et medio Pindi det sibi monte locum.
 Invidiāmque vocet, quam non nisi summa meren-
 tur,
 Incultum si quis damnat, & odit opus.
 Sæpè suis illum videoas supereffe libellis,
 Sæpè etiam famæ funera flere suæ.
 Quippe rudes fetus primo moriuntur in ortu,
 Primāque lux illis sæpè suprema fuit.
 Tu famam vitāmque jubes sperare libellos,
 Judicio pretium qui meruere tuo.

ELEGIA VIII.

JACOBO COBERGHER
 E REGIS CATHOLICI MILITIA,

IN QUA COHORTEM DUXERAT,

*Ad Carthusianum Ordinem nuper transgres-
 so, nunc etiam triumphalem hostiam Deum
 Deo ad aras primum offerenti.*

Victores bello reduces Capitolia quondam
 Roma coronatis scandere vidit equis.
 Scilicet, ut vīctor gratus cælestibus esset,
 Victima danda Jovi, dandāque laurus erat.
 Hinc debellato peperit sibi nomen ab hoste,
 Quæ tinxit tepidos hostia sacra focos.
 Hinc undis, Clitumne, greges, & maxima taurus
 Victima perfusi sæpè fuere tuis.

Vicisti

Vicisti melius : melior, Jacobe, triumphi,
 Quamvis non steterit sanguine, causa tui est,
 Non tibi se vicit spoliis insignis opimis
 Conferat : alterius vicit hic, ipse tui es.
 Hic breve nescio quid victæ telluris habere
 Militiæ pretium credidit esse suæ.
 Tu patrios, ut ne patriæ non utilis esses,
 Admisso undantes æquore i perdis agros.
 Ingentes vallos, objecta repagula ponto,
 Disjecisse tuâ diceris ipse manu.
 Diceris, obsecros muros & litora circum ,
 Sæpius hostiles sustinuisse minas.
 Sunt quoque , sunt fidei testes tibi prodiga vitæ
 Pectora, sunt ipso vulnera pulera loco.
 Viderat hos animos, & plus speravit ab illis,
 Si nova tentarent prælia, Divus Amor.
 Et pariter certâ designans cuspidem vulnus :
 Militiâ, dixit, se probet ille meâ.
 Ex illo quas te pugnas, quæ bella carentem
 Vidiinus ! ô causâ bella probanda suâ !
 Illustres supra titulos, & præmia regum ,
 Altius & terris Mars tuus egit iter.
 Quæ nunc majestas, quæ nunc tibi pôpa triumphi,
 Si sua nunc virtus præmia poscat, erit ?
 Non humeris Tyrium fulget vicitibus ostrum :
 Attenuant artus aspera texta tuos.
 Et tibi non tauros fluvio Clitumnus ameno,
 Non aluit niveos herba Falisca greges.
 Ipsa triumphalis summo tibi vicitima calo
 Labitur, æterno dignaque párque Deo,
 Ipsa Deus, quantus Superis qualisque videtur ,
 Quantus & æthereâ fulmen ab arce jacit ;
 Quantus & astriferos orbes, terrâisque, fretumque,
 Omniaque imperio vertit, agitque suo.

H 6

ⁱ Aggeres ipse ad Dunkeram perfodit , quibus admissus Oceanus in paternas possessiones.

Victrices subit illa manus , gaudetque teneri ,
 Quodque feras , gratum se sibi munus habet .
 Fortunate tui victor , quando ille triumphi ,
 Per quem vicisti , victima facta tui est !

ELEGIA IX.

AD

HENRICUM
NESSELRODIUM

E SOCIETATE IESU.

*Cum Elegiam ab eo Româ accepisset , quâ ho-
rum libellorum editionem urgebat.*

Tene ego de nostris credam sentire libellis ,
 Quæ , Nesselrodi , scribere jussit amor ?
 Da veniam : plus , quam possum , tibi posse videmur ,
 Aequora de parvo flumine magna facis .
 Sed nihil infirmo : fateor quoq; , carmen , & artem ,
 Quæ mihi jamdudum non male cessit , amo .
 Interdum numeris placuit gravioribus ire ;
 Interdum teneris apta referre modis .
 Sumsimus & citharam : cithara concordia Phœbus
 Carmina , carminibus materiemque dabat .
 Et si quis querat , cur hæc proferre moremur ,
 Tuta juvant : nulli delituisse nocet .
 Non duros ungues , morsusque verentur iniquos ,
 Sub lare privato quæ sibi quisque canit .
Hic mihi sum judex , hic sum mihi lector , & unus
 Omnia : nec plausu , si qua merentur , egent .
Hic mea me positis dum pascunt otia curis ,
 Quid possit voto plenius esse meo ?
 At , puto , tantum aliis , quantum tibi , nostra place-
 bunt ,
 Musaque præsidio non caritura suo est .

audi-

Judicio peccat , qui dum non displicet uni,
 Securum famæ se putat esse suæ.
 Plurima dissimulat , caroque indulget amico,
 Et veris aliquid laudibus addit amor.
 Utque sit & cedro dignum , nec credere sese
 Lectori metuat , pars quota laudat opus ?
 Ut vultus species , sic mens non omnibus una est :
 Et causam , quâ se quisque tuerit , habet.
 Hunc vis , & gravitas , quæstaque arte colores ;
 Simplicitas illum nudaque forma capit.
 Hi prodeesse volunt ; hi delectare poëtam :
 Utile qui dulci misceat , alter amat.
 Quid facias ? voces etiam placuere Sabinæ ,
 Et vix intonso cognita verba Numæ.
 Sic aliquem putri sordens ærugine signum ,
 Et , prisci dum sit funeris , urna juvat ;
 Aut veteris Curii non nividiosa supellex ,
 Parvaque Carmentis trita patella manu.
 Forsitan & Samiæ laus est pretiumque patellæ ,
 Quantum Mentoreæ non tulit artis ebur.
 Quid referam , magnos ut inertia carpere vates
 Ausit , & immunes non sinat esse notâ ?
 I nunc , & quamvis à te componimur illis ,
 Quæ nos detrectent ora , timere vera.
 Dicitur (ah quantum Latio distamus ab illo ,
 Cui simplex candor summa decoris erat !)
 Dicitur extremum Naso detrusus ad Istrum
 Scribere fortunâ non meliora suâ.
 Musaque tam felix , & non imitabilis ulli ,
 Orba suo cultu est , nec propè digna legi.
 Scilicet Euxini læsa est quoque frigore Ponti ,
 Traxit ab hirsutis nec nihil illa Getis .
 Scilicet & vires domini minuente fenecta
 Ingenii pariter deficientis erat.
 Hei mihi , quâm nihil est , cui non recordia laudem
 Detrahatur , audaces injiciatque manus !

Tene

Téne sacer vates, quém Mincí ad flumina natum
 Excepit gremio Calliopeia suo,
 Cui lauri sparsit foliis & baccare cunas,
 Blandáque Cecropiis imbuit ora favis;
 Cui Pan , cui Siculus submisit pastor avénam ,
 Cui victas Colophon & dedit Aescra mantis ,
 Quem domus Æneadūm coluit, quem Roma ca-
 nentem

Mirata est patriis arma virúmque modis ,
 Téne etiam insanus , qui carpit cetera , livor
 Deterit ? heu famæ turba maligna tuæ !
 Nec duro caruit Flaccus quoque judice, quamvis
 Romani fidicen deliciæque chori.
 Quid ? quod sæpè suo visa est Polyhymnia vati
 Tradere formosâ barbita tensa manu.
 Quid ? quod olorinis evasit ad æthera pennis ,
 Quò neque Dircaeus repperit ales iter.
 Quid ? quod & illius post tot jam 1 secula censor
 Posthabuit cultæ regia sceptrâ lyræ.
 Quid tamen hoc prodest ? num te minùs , optime
 vatum ,
 Arguit , & duros increpat usque modos ?
 Num minùs atra tuis illevit signa libellis ,
 Substituitque suis asperiora locis ?
 Quis tibi , magnorum censor liberrime vatum ,
 In Musas tantum juris habere dedit ?
 Quis ferat alterius cælo studiisque refungi
 Praxitelis Floram , Phidiacumve Jovem ?
 Quæ Veneris tabulam, quamvis labor ultimus illi
 Defuit artifices perpoliere manus ?
 Parcite victuros , malesani , parcite vates
 Lædere : divinæ semina mentis habent.
 Nil agitant mortale : Deus , Deus ipse canentum
 Aspirat cœptis : illius igne calent.
 Illius urguntur stimulis , totoque premente
 Numine non hominem , non sua verba sonant.

Jussa

Jussa canunt : pater ipse modos & verba ministrat,

Et præsens animos , ingeniumque facit.

Non vigor hic , non hæc cæli commercia nobis :

Altior ingenio spiritus ille meo est.

Nec timide nostros ausim vulgare libellos,

Dum , Nesselrodi , me tuus urget amor ?

Dì faciant , ne mox pœnas cogamur uterque .

Solvere , tu laudis , credulitatis ego.

Quidquid erit , nostro quicumq; tenebitur olim

Carmine , juncta leget nomina nostra tuis.

I Julius Scaliger eo loco , quo Horatianas Odas mirificè laudat , Inter ceteras , inquit , duas animad-
verti , quibus ne ambrosiam quidem , aut nectar dulciora putem : quarum similes malim compo-
suisse , quām esse totius Tarraconensis rex . At
quibus deinde judiciis ac censuris illa summi Poëta
attensa est ab eo laus ? Sanè duriusculus est in pri-
mâ . Neque placet illud . Malim etiam . Haud satis
intelligo . Neque cohæret tota ea pars parti , cui
subest . Oportet commento quopiam subvenire , ac
referre gratiam magnis viris . Verbum languidius-
culum . Non sanè convenit . Minùs satisfacit . Un-
decima si à nostri temporis poëtâ quopiam scripta
esset , nequaquam inter probas admitteretur . Nec
cum ipso dixerim . Neque rectè dicas . Duodecim-
fima tota insuavis , coactisque numeris quæsita
potius , quām oblata . Neque satis mollis illa lo-
cutio . Satis dure . Servit metro sustinendo . Sin-
gultim membra interrupta sunt . Numeri quoque
ipsi adhærescunt . Laboravit enim hac infelicitate
in senariis dictylicis Horatius . Quid , quod sibi
contradicit ? Non placent illa . Neque servant te-
norem propositæ sententiæ verba illa . Abscedit à
rei naturâ . Durissimum , inquam , verbum . Ver-
bum languidius est , quām rei atrocitas exigit .

Finis

Finis admodum languidus. Videntur hæc inopis
poëtæ, non divini, qualis ipse est. Illa non con-
veniunt loco. Epodi versus Iambici à nobis non
semel duri, dissipatique animadversi sunt. Sic pos-
sumus mederi huic nævo. Huic vitio non raro est
obnoxius. Non est illud supino aut oscitanti judi-
cio admittendum. In quintâ sunt aliquot loca mi-
nus ingenua : anxia dico, neque libero spiritu e-
dita. Est sonus insuavis. Et ille versus obscuræ di-
gnitatis. Neque structura placet : & hæc hiant :
& omnino illa sunt durissima. Numquam sic lo-
quor. Nec capio illum loquendi modum. Illa ve-
rò ferre nequeo. Sed & illi duo versus odiosi. Un-
decima aspera est, & insuavis, neque digna legi.
Sextadecima durissima sanè multis in locis, &
quasi invitas quasdam partes habens : tota igitur
inepta est. Qui sequitur versus, profectò à me
non intelligitur. Vides verò quantam duritiem : &
quæ sequuntur etiam asperiora. Mancus sanè sæpe
est Horatius ad hunc modum. & illa plebeia. &
appositio illa languida, ac pedi potius quam sen-
tentiae serviens. Quid tum posteā sequitur, quod
non consequitur. Nec convenientiunt comparationes.
Versus dislitus à proximo, & inconcinnus. Sed sit
satis. ne omnia excutiam, quorum sanè tædet. Hæc
& his plura Scaliger. At tu, Lector, quid censes ?
non tu tibi subjiciis novum Herculem in Augi & regis
stabulo repurgando laborantem ? Non diffitemur cum
Quintiliano, in magnis quoque auctoribus incidere
aliqua vitoſa, & à doctis inter ipsos etiam mutuo
reprehensa : sed est quidam in arguendo & castigan-
do modus. Præsertim cum illi discutiuntur, quos
non modo antiquitas venerandos facit, sed ipsa quo-
que scripta sic commendant, ut si quis judicium,
quod ad ea expolienda contulerunt, ingenio concede-
re existimet, is mihi Musas colere pinguiores, &

principiarum virtutum, qua in divinis illorum monumentis eluent, inscrita laborare videatur. Non igitur ex inani atque officiosa assimulata modestia formulâ, sed planè ex animi mei sensu concepta est à me præcedens Elegia; quippe qui non ignorarem fore, ut, si in publico apparerem, numquam evaderem, ne quid in me quidam desiderarent. Sed hoc nos solatur atque erigit, quod exacte mentes, quarum iudicia apud nos solum valent, quamquam ne illis quidem, quorum scribendi morem amulamur, omnia condonant; intelligent tamen scribendi laudem penes illos tantum esse, nec eum rejiciant, qui, cum illorum artem, & arti addita ultima expolitionis lineamenta penitus introspexerit, ex illis similitudinem ducat.

ELEGIA X.

AD

ARNOLDUM

VANDE VVALLE,
ARNOLDI FRATRIS SUI FILIOLUM,
ADHUC IN CUNIS VAGIENTEM.

Cum ei Olivam Pacis in spem colenda olim
Poëseos mitteret.

Quid fies, parve puer? dormi, dulcissime, dormi
Pax venit en cunas ducere jussa tuas.
Ipsaque Calliope, nutrix velut altera, carmen,
Quod somnos possit conciliare, canit.
Utque tibi virides fint oblectamina frondes,
Te petit, & cunas cingit Oliva tuas.
Mitte, puer, crota'um: ramum quate: gratus & illis
Est strepitus foliis, & color ipsi placet.

Qui

Qui te Palladium cernet prætendere ramum,
Ille tibi felix protinus augur erit.

Pacificus , dicet , vivat puer : ille tumultus

Oderit , & rixas , & grave Martis opus ,
Et quidquid miseri toties flevere coloni ,

Et pavidae toties extimuere nurus .

Ingenio quæret , non cæde & sanguine nomen:
Pro galeâ circum tempora laurus erit.

Et modò civiles poscent sua tempora curæ ,

Et modò Pierides , altera cura , Deæ .

Otia laudabit , gladiosque in sarcula versos ,

Et quidquid secum Pax opulenta vehit .

O ita cresce puer , neque Pax te sera moretur ,
Ingenio causas mille datura tuo .

Interèa , siquid puero tibi fortè dolebit ,
Perfer : habent anni commoda magna tui .

Non res te patriæ , non tangunt damna tuorum ,
Nec tibi , cur speres , cur timeasve , subit .

Ignorat , puppi somnum qui dicit in imâ ,
Quid mare , quid venti , quid fera peccet hyems .

Forsitan abruptus violento turbine malus
Dissilit , & regimen ventus & unda rapit .

Forsitan & rector , dum nil nisi vota supersunt ,
Ingemit , & duplices tendit ad astra manus .

Aut credit laceris navem compagibus ire :
Aut oneris metuens in mare jactat opes .

Hi trepidant : tabulas illi , funésque requirunt :
Flent alii : pallet quisque , Deumque vocat .

Ille nihil : somnoque jacet , curâque solutus ,
Seu stupor hoc animi , seu gravis aura facit .

Hic status , hæc rerum , puer , est fortuna tuarum .
Te mala in hoc bellit turbine nostra latent .

Non tibi , quæ nostros , abrumpunt classica somnos ,
Nec sensum , quem nos , temporis hujus habes .

Hoc sentis tantum , si tardior ubera nutrix
Porrigit , aut noctis pars vigilanda venit ,

Aut leve nescio quid teneros si sauciatur artus.

Hei mihi summa tui sit, puer, ista mali!

Nec Vis & Rabies, cum te firmaverit ætas,

Ante oculos erret sanguinolenta tuos.

Pax potius, quæ nos nimium nimiumque moratur,

Otia det Musis, materiemque tuis.

At vos, quos lati capunt præfigia voti,

Et pueri facies, ingenuusque decor,

Illiū omecum, quæso, cognoscite mores:

Hi quoque blanditias, quodque loquantur, habent.

Quam nondum verbis, pacem vagitus orat:

Pacem inter lacrymas pœnè vocare putas.

Nec propè non credi possit communia vota,

Quà licet, indiciis velle juvare suis.

Non nihil huc anni (quid non conceditur illis?)

Non nihil huc candor, simplicitasque facit.

Fœdera si poscas didicit pretendere dextram:

Hoc fidei pignus, tu modò posce, dabit.

Fallere non novit. Quid enim simulaverit infans?

Fronte, oculis, vultu se tibi prodit amor.

Castra quid, & quæ sint, nescit: tamen inscius horret,

Horret & auditæ corde micante tubas.

Tum si fortè oculos lacrymis perfuderit horror,

Turbatos oculos, dissimilesque sui,

Lac dare nil opus est: pacem dulcissima pacem

Ingeminet genitrix, ille serenus erit.

Fortunate puer, cui tam felicia pacis

Omina fatales præcinuere Deæ!

Vive, tuoque meas risu cognoscere Musas

Incipe. Sic illæ te quoque semper ament.

Sic tibi sit vultus, sit crinis Apolline dignus,

Pòst etiam pulcro carmina digna Deo.

Quæ mihi magna seni tum sit laudare voluptas,

Et non lassandâ volvere sœpè manu,

Atque

188 JAC. VVALLIJ ELEGIARUM LIB. I.
Atque ebore, & gemmis, & cedro dicere digna,
Et quodcumque liber mutice cultus habet.
Sic quæ te gremio nascentem Musa recepit,
Admoveat labris ubera plena tuis :
Ubera nunc ; olim fontes Agan ppidos undæ,
Aonius cum te lucus & umbra teget.
Sic tibi blanditiis , sic carmine mulceat aures,
Et linguam cantu singat & ora suo.
Sic tua te quondam secernat laurea vulgo,
Atque aliquid nostro grandius ore canas.



ELE

cepta

ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

A D

MATREM MISERICORDIÆ,
QUÆ IN TEMPLO SOCIETATIS IE-
SU CORTRACI COLITUR.

Cum Sidronius Hosschius ejusdem Societatis
in gravi periculosoque morbo Carmen illi vo-
visset, si convalesceret, anno 1646. quo
urbs in Gallorum erat potestate.

O Quæ virgineo cùm sis lætissima partu,
Imperium nati par propè , Mater , habes :
Cujus in arbitrio est properantia fata morari,
Corporáque è tumulis viva ciere suis :
Quæque pios vates , & de te digna locutos
Crederis auxilio sæpè levare tuo :
Huc mites , huc flecte oculos. Tuus ille Poëta
Deficit , & pallens , & sine voce jacet.
Deficit , heu frustrà pæctus sibi carmine vitam,
Quo te crediderat munere posse capi.
Nil artes , herbæque juvant : tua dextera , Mater ,
Poscitur : hæc vanæ suppleat artis opem.
Ne sine , quod prono pepigit tibi pectore votum ,
Ne sine , quam de te spem fovet , aura ferat.

Non illum vitæ (quid enim , quod ametur , in il-
lā est ?)

Tangit amor , quamvis hic quoque tangit amor .
Omnia luctus habet : facies miserabilis urbi est :

Nec dominum mcerens fert benē Liza novum .

Crudescunt morbi : procumbunt tabida passim .

Corpora : funeribus non caret ulla domus .

Victoris nunc ira subit ; nunc rapta gementi .

Libertas populo , virginib[us]que pudor .

Nec ruri , ut quondam , suus est honor : orba colonis .
Cessat , & informi squalida terra situ est .

Hoc unum superest , lacrymis miscere querelas :

Hoc unum miseri , flere , levamen habent .

Quem tibi , Sidroni , sensum , tam densa malorum .
Se tibi dum series objicit , esse putem ?

Te quoq[ue] plus ipso tangunt mala publica morbo :
Prosequeris lacrymis forsitan & illa tuis .

Nunc lacrymis ; tunc , cùm poteras , & voce le-
vabas ,

Et , quacumque locus résque sinebat , ope .
Hei mihi ! dum sœvus miscet sic omnia Mavors ,

Mitior est tantis mors properata malis .

Tu , Virgo , tu sola facis , cur optet amori ,

Et pariter vitæ tempora longa suæ .

Ah quoties cælum spectat , mortique paratus .

Ardet in amplexus ille venire tuos !

Ah quoties votis iterum revocatur , & optat .

Respectu i tantum vivere posse tui !

Vivat , & extensis virtutibus impleat annos :

Vivat , & hoc munus prædicet esse tuum .

Te meminisse decet , quæ de te plurima scripsit ,

Digna tuae sobolis nomine , digna tuo .

Donec erat sospes , quis de tot variis illo .

Dicitur in titulos cultior isse tuos ?

Facundum faciebat amor : plenūisque vigoris ,

Inque suâ semper Matre disertus erat .

Dic,

ELEGIARUM LIB. II. 191

Dic, bona, dic, valeat. Memorem si forte tabellam,
 Aut votiva petis munera, carmen habet.
 Illi sola places, illi laudabere sola,
 Sola pio vati grande volumen eris.
 Tunc iterum blandâ matrem te voce vocabit,
 Auxilio latus se superesse tuo.
 Natalêmeque novum tibi se debere quotannis
 Dicit, & antiquâ religione colet.
 Pactaque vota feret, feret & solleninia tura:
 Munera cum tenero carmine laurus erunt.
 Tangit & Happardum 2 (quid non pia tangit a-
 mantum
 Pectora?) pars meriti non abolenda tui.
 Te spectans animo, vatêisque amplexus amicum,
 Hæc de te, dicet, gaudia, Diva, fero.
 Tum quoque servati testantia vatis amorem
 Ante tuos ponet carmina vota pedes.
 Addet & ipse sui mansurum pignus amoris,
 Aut ebenum, aut Indi nobile dentis ebur.
 Hoc cultu, variâque super testudine fulgens
 Pendebit templo pulchra tabella tuo.

Acce-

- 1 Peregrinum aliquid & ingratum obolere cuipiam
 vox hæc visa est; sed nescienti sic Ovidium lo-
 cutum sapius. Sub flebilem suum ex urbe discessum
 ait uxorem suam mori voluisse; respectu tamen
 sui prohibitam, ne quid scilicet acerbitatis ad
 suum dolorem mors hac adferret. Tomit & Ovidium
 malebant è Ponto discedere, quia videbant illum
 id vehementer velle; respectu tamen sui virum
 multis de causis sibi carum retinere cupiebant. At
 id, inquires, annotasse quò pertinet? Non amo cum
 Scipione nimium diligentes. At ego mihi diligen-
 tiam malo, quam culpam condonari.
 2 Remigius Happart, Soc. Iesu Cortraci Rector, voti-
 dum Sidronii carmen, & hoc nostrum in magnifi-
 tà ex ebeno tabellâ ad aram Virginis figi curavit.

Accendent alii , concordia pectora , vates ,
 Gens pia , gens laudes docta referre tuas .
 Ante alios , supplex yeniet Bocanus ad aras ,
 Nec veniet vacuâ , gratus & ipse , manu .
 Blanditias , ele gósque suos , sua munera solvet .
 Materies eritis túque , puérque tuus .
 Omnibus unus amor grates tibi dicere , sospes
 Dummodò sit , pro quo vota , precésque ferunt .
 Carminis ut causas , & aperti signa favoris ,
 Sic numeros illis , ingeniumque dabis .
 Ipse etiam voti veniam ieus , & mea sacrîs
 Carmina suspendam qualiacumque tholis .
 Inscribam : quæ , DIVA , THO MODO VITA POETÆ
 REDDITA , PARTE ALIQUA REDDITA VITA
 MIHI EST .

ELEGIA II.

F R A N C I S C O
GANDAVILLANO ,
BARONI DE RASSENGHIEM ,
 TORNACENSIO EPISCOPO LXXXVI .

Cortracum , Diaœceseos sua Oppidum Regi Catholico restitutum primum ingredienti .

Emblema : Scutum ejus gentilitium , cuius area
 imâ parte nigra ; summâ , argentea ,

Inscriptio : VICTIS LUX ALTIOR UMBRIS .

E quo post gravem sub externo imperio luctum
 perpetuam Cortracensibus lætitiam augurabatur .

E Rgo ades , & solem nobis , lucemque reducis ?
 Magnaque pars curæ cœpimus esse tuæ ?

Et

Et, quoniam tenebras licuit, noctemque profunda-

dam

Vincere, lux nobis illa perennis erit?

Liza pater gaude: scuti non fallit imago,

Tessera Villanæ præsidiumque domus.

O quantum, & quoties illo recreabere viso,

Et, Color hic, dices, sortis imago meæ est!

Sæpè tibi referent umbræ, quæ plurima Mavors

Mærentem captis ferre coëgit aquis.

Sæpè tibi referet victis lux altior umbris

Gaudia, quæ demto sunt tibi parta jugo:

Mœniaque, & vallos, & tanti nominis arcem,

Captaque vetrici Gallica signa manu.

Quas dabis historiæ causas, cùm nostra loquetur

Tempora, resque tuas pars quoque victa leget:

Et leget, & pulsam fœse indignabitur arce,

Quam nullâ vinci posse putabat ope.

Mars erat in cursu: nec non, si fata tulissent,

Sub juga vicinus Scaldis iturus erat,

Sed nihil infestis potuit pervincere signis:

Signa parum i fausto fixa fuere solo.

Cùm dirum Groninga foret, velut Allia, nomen,

Non erat arx illo constituenda loco.

Hic decus, hic equitum florem cecidisse suorum,

Hic fractas olim Gallia flevit opes.

E templi suspensa tholo calcaria testes,

Hei mihi! vindicibus non repetenda rogis.

Quid nisi nunc iterum, patriæ quæ gaudia victor

Attulit, ex ipsis sunt geminata malis?

I un alio

¹ Arcem novam Contraci erexere Galli ad portam Groningenam, anno 1647. extra quam anno 1511. memorabilem cladem acceperant, quam post annos octoginta incensâ urbe vindicarunt, conspetto ejusdem cladi monumento, inauratorum calcarium paribus amplius quingentis in templo appensis.

JACOBI VVALLII
Post tristes Hyadas , pluviae post sidera Caprae
Gratius est puro quod nitet orbe jubar.
Laetior imponit votivam nauta coronam
Convulsæ Boreâ , turbinibusque rati.
Sic tibi , quâ possis vultum diffundere , causa ,
Discusso belli turbine , major adeit.
Libertas rediit : rediit , qui dulcibus urbem
Erigat alloquiis , consiliisque juvet.
Hujus ut affulxit populo per compita vultus ,
Visa fuit populo gravior ire dies.
Felix forte tuâ es. Nitidos occumbere soles
Cernimus , & nigrâ sidera nube tegi :
At tibi , sic spondet scuti felicis imago ,
Ibit inocciduâ luce serena dies.

ELEGIA III.

AD

FRANCISCUM JOANNEM
DE ROBLES ,
E COMITIBUS D'ANNAPES ,

EPISCOPUM IPRENSEM.
Cùm adhuc esset Lovanii in S. Petri Prepositus , & Academiæ Cancellarius variorum scientiarum titulis insigniret.

In illud Thomæ à Kempis : Melior est humilis rusticus , qui Deo servit , quam superbus Philosophus , qui se neglecto cursu cœli considerat. Lib. I. de Imit. Christi cap. 2.

QUAM juvat arcanas rerum cognoscere causas ,
Altaque , nec vulgo cognita , mente sequi !
Hoc

ELEGIARUM LIB. II. 195

Hoc amat, hoc laudat, curis suspirat in illis,

Quem suus, ut ne quid nesciat, ardor agit.

Omnia discendi vincit, Francisce, cupidus:

Impetus hic causas mille vigoris habet:

Ingenium res ipsa facit, facit æmula virtus,

Et quæ quemque trahunt præmia, calcar habent.

Scire lubet, quodcumq; later: quâ lege recurrent

Sidera: quæ mundi temperet hora vices:

Cur stellæ nitant: cur sol, cur luna laboret:

Unde nivas: Boreæ cur tonet alta domus:

Quis tremor impellat terram, quis spiritus auras:

Quid numquam stabiles per mare volvat aquas.

Deficit ingenio spatum: rapiturque, ruiturque,

Arcaque admissos nulla coercet equos.

Hinc Tyros, & Babylon, & gens antiqua Canopi,

Et non casurum Græcia nomen habet.

Hinc sua constat adhuc everso fama Lycæo,

Et sua laus hortis, porticibusque sua est.

Fertur Aristonides, dum talia lusit in umbrâ,

Illi sum mediis detinuisse vadis.

Talibus & i Siculo fertur rapuisse tyrannos,

Hospita cum niveis regna subiret equis.

Recordes animæ, quibus hæc cognoscere tantum,

Inque suas laudes vivere cura fuit.

Naturæ norant cursum, causasque, modosque:

At non naturæ cognitus auctor erat.

Et cuiquam tanti, quæcumque est, ista videtur

Gloria? nec votis altius ire lubet?

Enage, seu tellus, seu te jam distinet æquor,

Seu venit in superas impetus ire domos:

Et seu nunc obitus, seu nunc descripsis ortus,

Et quascumque tenent lucida signa vias:

I 2

Platonem, Aristonis filium, Dionysius tyrannus
in Siciliam invitavit, atque albis in litere qua-
drigis exceptit, quas idem ipse regere se non indi-
gnum putavit.

JACOBI VVALLII

En age, quid pretii, cùm, quæ tibi feceris, idem
 Qui cineres, tumulus nomina condet, erit;
 Hei mihi! cur toties, studio fallente labore,
 Impensa est operi nòxque diésque tuo?
 Cur cæsi plutei? cur morsi dentibus unguis,
 Oraque sunt chartis pallidiora tuis?
 Grande supercilium verbis dum grandibus addis,
 Quâ cælo poteras dote placere, cares.
 Scilicet ut placeas, illâ male quæritur arte:
 Moribus & vitâ conciliandus amor.
 Tityre tu felix, dum quæ tibi cura recursat,
 Prima Deum, placidas altera spectat oves.
 Non spem, non animum; calamos inflare voluptas
 Est tua: sic brevis est, decipiturque dies.
 Ut fueris simplex, ut nil nisi pascua noris,
 Carminaque errantem docta tenere gregem:
 At non sola tuis responderet silva querelis,
 Rustica nec solas fistula mulcet oves.
 Dicitur his studiis cælum quoque: sàpè beatos
 Carmina credibile est illa tenere choros.
 Quid, quasi nostra tuum læsisset Musa pudorem,
 Avertis vultus, & notat ora rubor?
 An, nisi dixissem, Cælo tua, Tityre, cælo
 Fistula, sit quamvis rustica, grata tamen,
 Quæ tibi, nescires, vivant sub pectore flammæ?
 Quæ tibi, nescires, carmina dicit amor?
 Forisan & reputas, cùm sis vix nomine notus,
 Quam mea judicio laus sit inepta tuo. [qui,
 Et modò, dum cannam spectas & stramen: An, in-
 Credibile est Superis has placuisse casas?
 Et modò te, dum quis fueris, qualisque, retractas,
 Credis iners, & quo terra gravetur onus.
 Nec dignum, cui sol radios, cui sidera rorem,
 Cui facilem victum justa ministret humus.
 Nec, cui vitales aër spirabilis auras,
 Nec, cui libandas præbeat amnis aquas.

ELEGIARUM LIB. II 197

Non solæ turres , sed & hæc agrestia , clamas ,
Calmina sunt justo fulmine digna peti.
Parcite Cælestes : aut si punire nocentem
Ira parat , vires temperet illa suas.
Pœnitet admissi : nec qui mihi cùmque doloris ,
Non erit & vitæ terminus ille meæ.
Nec tam supplicii , quàm turpis imagine noxæ
Torqueor : hæc gravior, primâq; pœna mea est.
Talia dum memoras , centum tibi , Tityre , causæ ,
Cur semper lateas , displiceásque tibi.
Cetera si rudit es , tamen hac es parte disertus :
Materia est , quæ te non finit esse rudem.
At tu pone metum : nec te mens anxia fallat.
Judicio melior mens bona sæpè suo est.
Quid tibi simplicitas , obscuraque vita pudori est ?
Simplicitas magnum deuinet ista Deum.
Nec tibi , quod metuis , grex & pastoria pellis ,
Nec sunt opprobrio sordida recta casæ .
Sordida sint sanè , dum non obnoxia culpæ ,
Dùmque pudicitiae sit sine labe domus .
Curta sit & tenuis , dum non malè parta supellex :
Sint inopes , sancti dum numerentur avi .
Non tibi verba damus . Nam quæ sit gratia facti ,
Dam tua tam parvo cœna parata foco est ?
Quæ teneant reges , fingat quem regia tangit :
Non subeunt humiles nomina ficta casas .
Eia leves calamos , tua si bona noveris , infla
Tityre : jam calami , quod modulentur , habent .
Gratior es Superis , Superios dixisse putato ,
Quàm quos suspexit Græcia prisca viros .
Plus tuus hic cespes , quàm porticus alta Lycæi ,
Plus tu , porticibus quàm vaga turba , places .
Illa quidem numerum stellarum & nomina novit ,
Et novit , quod sol currat , & annus iter .
Iamq; aliquis , dum nox cælum consperserit astris .
Describet radio , quæ videt , astra suo .

Hic rutilat Mavors : hic est Cythereius ignis :

Quæ nitet hic , felix , dignaque stella luce est.
Arctophylax illic , illic sunt Arcades Ursæ :

Hæc regit Argolicas , Sidonis illa rates.
Hic Ariadneæ fulgent monumenta coronæ :

Hæc Bereniceo vertice tonsa coma est.
Aspice signiferum , quo cælum cingitur , orbem:

Principium signis aurea fulget ovis.
Hinc sol quadrijugo , bijugos hinc Cynthia currus

Incitat : hæc tenebris linea damnat equos.

Aspice & albentem mecum mirabile tractum :
Longa via est : ex re lactea nomen habet.

Hic tangit Geminos ; illic tua sidera Chiron :
Inde subit flamas Cassiopeia tuas.

Omnia cum dixit (tanta est insania fastus)

Pænè supercilium , quæ notat , astria ferit.

Ite (nec in video) sine me percurrite cælum

Gens tantum in laudes ingeniosa tuas.

Nil mihi vobiscum est : votis ut cetera desint ,

Hoc satis est , quod sim cognitus ipse mihi.

Non ego laudari cupio : mihi numen & æther

Dum faveant , quæso , tardus inersque vocer.

Cum cæli tractus varios & sidera noscam ,

Dicite , quâ cæli parte locandus ero ?

Hei mihi ! dum clarâ judex in nube sedebit ,

Captandus ne reo judicis inde favor ?

Non hic ingenio , non hic acquiritur arte :

Colligit hunc meritis Tityrus ipse suis.

Tityrus immensos cæli quoque suspicit orbes :

Nec nihil hinc , quo se votaque pascat , habet.

O quoties illum serâ sub nocte morantur

Hesperus , & pulero qui coit igne chorus !

O quoties oculis spectans humentibus astra ,

Liquitur , & totus , sicut ab igne , caler !

Spectat , & intentus dum flammis hæret in illis ,

Deficit , ac flamas concipit inde novas.

Spectat

ELEGIARUM LIB. II. 199

Specat, & : O quantò qui sidera condidit, inquit,
Majestate operis pulcior ipse sui est !
Tale nihil priscum docuit, Francisce, Lycaeum,
Tale nihil Babylon, ingeniumque Tyri.
O mihi sit, visis didicit quæ Tityrus astris,
Discere ! sic sapiens, & bene doctus ero.

ELEGIA IV.

AD

IGNATIUM GOYVAERTS
E SOCIETATE IESU,
PRIMUM SACRIS OPERANTE.

Humanum animum solo Deo expleri.

Cur aliquis Marsos propter convivia saltus
Cingit, & excitos per juga sternit apros?
Aut quæri tepidis jussit conchylia Baiis,
Aut quæri Scythicas Phaside jussit aves?
Nequidquam silvis, nequidquam tendimus undis
Retia: nil, quo nos expleat, orbis habet.
Quod mare, quod fluvii, quod terra, quod edu-
cat aér,
Non extinguendi sunt alimenta mali,
Bacche pater, tu pampineo perfusus odore
Tempora, lætitiae diceris esse dator.
Te rosa, te calices, & amictæ frondibus uvæ,
Te chorus, & cantus, æraque pulsa juvant.
Et tibi Thebanæ peragunt sollemnia matres,
Et tibi de Chio palmite dona ferunt:
Et tibi nocturnus resonat clamore Cithæron,
Tympanaque, & plausus ad tua vina calent.
Certatur cyathis: abeunt curæque, metusque:
Et pudor est festo non maduisse tuo.

Quid tamen ista juvant ? & pulsa & victa recurrit,
 Visceribusque hæret non abitura sitis.
 Neu cedat victus (quæ non certamina luxus
 Invenit ?) immensas perdere gaudet opes.
 Nec tantum , quæ sint mensis accepta , petuntur ;
 Dummodò stent magno pocula sumta , sat est.
 Hauritur regni pretium : Romamque laceiens ,
 Hec , ait , hæc genio vina litanda tuo ;
 Et pariter gemmam pellex Ægyptia collo
 Diripit . Heu quanti vincere posse fuit !
 Quod pendit Babylon , paterâ miscetur in unâ :
 Tantaque res fallit , nec levat hausta sitim.
 Ergone , dum semper cupidi , dum semper hiantes ,
 Delicias terrâ , persequimurque mari ,
 Dum nihil hîc satis est , expleri nescius ardor
 Pectora nescio quò , votaque nostra feret ?
 Tantale , quid toties pleno circumclusus amne
 Diceris , & liquidæ semper egenus aquæ ?
 Quid toties fallax pomis fugientibus arbor
 Dicitur insanam destituisse famem ?
 Ah nimis ex vero (nec mendax omnia finxit
 Græcia) de nobis fabula nomen habet !
 Tot bona fert tellus , tot fert Neptunia Tethys ;
 Cùmque oculos explet plurima , nulla famem.
 Hei mihi , quod nostros fugiant cælestia sensus !
 Cælum epulas , cælum , quo satiemur , habet.
 Illa Voluptatis domus est , sempèrque recentis
 Lætitiae causas , nec fugientis habet.
 Nos hîc interea torquent fastidia : nobis ,
 Quod petimus , damno est , copiaque ipsa nocet.
 Crescite , dicebas Genitor pulcerrime rerum ,
 Cùm rufis , & nondum fertilis esset humus ;
 Crescite felices , & spargite semina silvæ :
 Arboribus redeant annua poma suis.
 Terra ferat fruges , alimentaque mitia fundat :
 Turgida palmitibus pendeat uva suis.

Lustra feras capiant : errent armenta per herbas :
 Findat avis pennis aëra , piscis aquas.
 Pace tuâ , quamvis tellus , & pontus , & aër ,
 Quæ bene iussisti munera ferre , ferant :
 Non his est animus , non his expleta cupido :
 Crescit , ut affusâ Pallade flamma solet.
 Nota loquor. Populo victimum , quem terra negabat ,
 Cælesti nubes munere feta dedit.
 Ambrosiâ cælum rorat. Mirabile dictu ,
 Quidquid in ambrosiâ mens sibi fingit , habet.
 Fit fera , fit piscis , fit quod sua cuique cupido
 Suggerit , & gustu prodigiosa suo est.
 Omnia præstiterit : populo tamen omnia desunt ,
 Ægraque sollicitat pectora , quidquid abest .
 Quam miser est , qui quo fruitur , torquetur eodem
 Pascitur , & votis carpitur ipse suis.
 Infelix alit ipse suos , quibus uritur , ignes ,
 Et sua quæ sentit vulnera Iæsus , amat.
 Sic pariter causas , pariter solaria morbo
 Adjecit , & gelidis imminet æger aquis.
 Magne opifex rerum , spes ô , & meta tuorum .
 Ultima , fons omnis principiumque boni ,
 Quem tua felicem facient , quem dona beatum ,
 Si , postquam dederis omnia , solus abes ?
 Te peto : tu satis es : tu solus es omnia. Quod nos
 Expletat , ut desint cetera , solus habes.
 Felix Ignati ! tibi jam venit illa voluptas ,
 Quæ cupidis possit mentibus esse satis .
 Sisteris ante aras , loquerisque potentia verba .
 Nec mora : præsentem sustinet ara Deum .
 Hic manibus tractas , hic imo pectorc condis ,
 Quo nil Cælituum regia majus habet .
 Felices aræ ! vestris ego debita solvam
 Tura focus , vestris munera digna facris .
 Vos ego votivis incingam ritè coronis :
 Vos Superum dicam sedibus esse pages .

ELEGIA V.

AUSTREBERTÆ
VANDE VVALLE,
ARNOLDI FRATRIS SUI FILIÆ,
*Brugis in Cœnobio S. Godelevæ, Ordinis S.
Benedicti, Christo desponsæ,*

EPITHALAMIUM.

Quid non speret amans? capitur quoque Nūmen amore.
Junguntur stabili Virgo Dcūsque fide.
Illa quidem, fateor, thalamis cælestibus impar:
Sed tamen in thalamos non sine dote venit.
Dos est virginitas: dos acceptissima cælo.
Illam si qua dedit, munera magna dedit.
Sponsa veni: studiūmque tibi luctūsque tuorum
Excidat, & patriæ nomen amörque domus.
Ille tuos habeat, qui te sibi poscit, amores:
Materies curæ prima sit ille tuæ.
Non opus, ut placeas, gemmis auróque decorem
Quærere, non census corpore ferre tuos.
Non hîc forma valet, non hîc candórque, ru-
bórque,
Et melior vero factus ab arte color.
Majorem terris animum cum paupere cultu
Indue: paupertas causa decoris erit.
Indue virginem quæ velent flammea vultum:
Spectari facies castaque forma negat.
Gratior est casto veniens in corpore virtus:
Non eget hæc cultu, non eget artis ope.
Ipsa sibi decori est: nec, quòd sit pulcrior astris,
E: Divos rapiat, lux aliena facit.

Noa

ELEGIARUM LIB. II. 203

Non aliunde suos sol accipit aureus ignes :

Formosus radiis est satis ipse suis.

Non rosa fucatos sibi poscit ab arte colores :

Nulla quod ars illi conferat , ipsa sibi est.

Posceris : en qui te , Virgo , comitentur euntem ,

Exspectant superi , turba beata , chori.

Nil opus est tedis : pro tedis sidera lucent ,

Quæ tibi mox Sponsus tradet habenda tuus.

Pars tibi cælesti texit de flore coronam :

Hic Sponsi capitur laudibus , ille tuis.

Pars plaudit choreas : pars lilia postibus addit :

Pars citharâ carmen coniubiale canit.

Calitum Regina , tui pulcerrima Sponsi

Mater adest , thalamo pronuba facta tuo.

Illa tibi natum junget , propriumque dicabit.

I , fruere æternis , & quibus ille , bonis.

O niunium felix ! quant s dotabere regnis !

Terra nihil dignum , quo tenearis , habet.

Regia , quam stellis æther ardentibus ambit,

Majestâlique implet Numinis , illa tua est.

Quid non speret amans ? capitur quoque Numen
amore.

Junguntur stabili Virgo Deûisque fide.

ELEGIA VI.

AD

ALOYSIUM LAVENBACH

E SOCIETATE IESU.

Cum Lovanii Theologia daret operam , eo-
démque tempore in Sadalitate Deipara La-
tinè diceret ; jámque sanguinem vomeret .

M O Elta tuos venit solatum Musa dolores .

Hei mihi ! conspectu pallet ab ipsa tuo .

Nec

Nec subeunt numeri , nec sunt in carmina vires,
 Et mihi pars soliti magna vigoris abest.
 Flere lubet : flendi causas mihi vena ministrat
 Sanguinis atque animæ prodiga facta tuæ.
 Nos igitur fluimus lacrymis, tu sanguine : sed non
 Hujus , & illius vulneris una via est.
 Tuta, patensq; via est, oculis quæ liquitur humor ;
 Quæ crux , hac tritum mors sibi fecit iter.
 Utque fluant oculi , facilis medicina dolori est :
 Egeritur fletu lapsus ad ossa dolor.
 Non sic est sacris languor medicabilis herbis :
 Non sic ad sanum vena cruenta coit.
 Ah ! tua cur umquam Latiam facundia vocem
 Extulit ? Hoc vulnus vox tibi culta dedit.
 Scimus, & ad nostras rumor quoq; pertulit aures ,
 Quanta sit eloquii visque , nitore que tui.
 Debueras siluisse tamen. Tractare libellos,
 Hoc satis , ut vires perdere posset , erat.
 Acer , & Eleâ palmam meriturus arenâ
 Deficit in cursu , quem nimis urget , equus.
 Mergit onus puppes : tauros enervat aratum :
 Sapè suâ vastum mole laborat opus.
 Quod tibi fingebas robur ? tibi débile pectus ,
 Et tenues vires , invalidumque latus.
 Ausus es ire tamen , geminòque instare labori ,
 Sit quamvis validis durus uterque labor.
 Ausus es, ô Gandæ, veterumque oblite malorum ,
 Quam ferrent , humeris plura subire tuis.
 Hinc quantum ingenio , tantum servire dolori
 Cogeris , & studio pœna reperta tuo est.
 Sed quid ego hæc tecum ? certè me decipit error ,
 Et te nil meritum nostra querela gravat.
 Causa fuit Virgo : tantos hæc ferre labores
 Impulit : hæc , si fas dicere , causa mali est.
 O quoties precibusque tuis votisque vocata
 Præbuit eloquio vela secunda tuo !

O quo-

O quoties vocem (vocem quoq; vultus habebat)
 Ursit, &, Hic valido fulmine, dixit, opus!
 Seu laudanda forent, quibus est laudabilis ipsa,
 Addidit ardentes ad tua dicta faces.
 Sive redargueres crimen, quod & oderat illa,
 Crimen ut argueres, fortia verba dabat.
 Deniq; quidquid erat censurā vindice dignum,
 Vox argumento par erat ipsa suo.
 Sæpè tibi vultus media inter talia, sæpè
 Incaluit sanguis, venaque tensa fuit.
 Nec timor, aut veteris tetigit te cura pericli.
 Res est intrepidi plena caloris amor.
 Quando ille imparibus se se non credidit armis.
 Esse parem? quando substitit ille metu?
 Ille vel adversas acies invadere solus
 Ausit, & in medias cominus ire neces.
 Solus & iratas excire cubilibus ursas,
 Solus & Armeniis bella movere feris.
 Præmia dant animos, & causa pericula vincit,
 Et minor est ipso semper amore labor.
 Nec dubitat laceras, & ruptas impete venas
 Virtutis pretium grande vocare suæ.
 Nec, quamvis cedat, vigor & fiducia cedit.
 Mens manet, & vires colligit ipsa suas.
 Sic & causa tibi pro Virgine fortiter acta est,
 Et vires idem qui dedit, hauſit amor.
 Nec modò tam palles, quod sint sine sanguine
 venæ, famæ.
 Quamquod, ut est proprius pallor amantis,
 At tibi, ne dubita, Virgo succurret amanti,
 Invidiamque tuo detrahet ipsa malo.
 Diva parens potuit, quod non potuere medentes:
 Nec poterit votis esse aliena tuis.
 Audiit orantem, dum vox virésque sinebant;
 Dum prohibent, gemitus audiet illa tuos.

ELEGIA VII.

AD SEIPSUM.

*Cum Sidronius Hosschius, è Societate Jesu,
amicorum & poëtarum optimus maximus,
vitâ excessisset.*

ERGO, ubi summa dies nostros expleverit annos,
 Quod sumus, injectus pulvis & urna teget?
 Nec mihi profuerit, quod vates numen habere
 Credimus, & Civum proxima cura sumus?
 Nec mihi, quod chartas, & chartis digna notari
 Nomina post cineres Musa perire vetet?
 Si quid id est, cari venient ad funera vates,
 Et tumulo titulum, mœstaque sarta dabunt.
 Ossaque præteriens (si quis tamen illa viator
 Noverit, & Musæ fama sit ulla meæ)
 Forsitan insperget violis, ederâque virente,
 Et leviter: Vates hie quoque, dicet, erat,
 Ulterius nihil est, quò se spes ardua vatum
 Porrigat: hoc pretio gens operosa sumus.
 Et mihi jam tanti est, aliquis si dicar in illis,
 Et populi veniat parvus in ora liber?
 Ah furor est, sacras aliquod captare per artes
 Nomen, & in famam vivere velle suam.
 Fama perit, pereunt artes, rapit omnia secum
 Et rogus infelix, & niger ille dies.
 Parnassi colles, & collibus addita Famæ
 Limina, laurigeris undique septa viis, [lo
 Parcite, non ego vos, quamquam mihi carus Apol-
 : Annuat, inque suum me sinat ire nemus;
 Non ego vos ederas, si quas meruisse putamur,
 Non capiti posco laurea sarta meo.
 Nec servant ederas, nec servat laurea vatem,
 Et cineres frustrâ sera corona tegit.

ELE

ELEGIA VIII.

AD

GEORGIUM UVVENS
EQUITEM,

ET IN SUPREMA BRABANTIA CURIA

CONSILARIUM,

MAGNUM ANTIQUITATUM CULTOREM.

Quo sint apud te loco , Vir Amplissime, Antiquitatis monumenta ignorare non potest , qui bibliothecam tuam perlustraverit , librorum quidem bonâ instructam copiâ , sed veterum nummis , aliisque vetustati detractis manubiis ornatiorem. Neque verò illarum rerum amor aliunde arcessendus tibi suit , ad quem te cùm Parentis tui , Geldria quondam Cancellarii , tum Majorum tuorum , qui antiquitatum scientiâ floruerunt , institutio & exemplum , adeoque natura ipsa duxit. Cui propensioni atque indolicum Magnus ille Lipsius , quem in Academia Lovaniensi olim audivisti , flamas subiecisset , tum verò non solum MORIBUS ANTIQUIS vivere , sed etiam quidquid antiqui moris ac temporis est , ita studiosè conquirere , & luculenter cognoscere , & ex merito estimare visus fuisti , ut inter Antonios Augustinos , Occones , Fulvios censeri laudarique posses. Alium ne attingeret quidem , te verò pupugit veteris Urna Funebris ad te missa & in via fracta jactura ; exigua , fateor , nisi qui modus est in ejusmodi rebus eruditæ curiositatis , is esset estimationis. Adfui , cùm dispersa disiectâq; fragmen ta colligeres , & partes partibus coagmentares : mox ad me conversus , Quid ni tu nobis , Valli , de hu ius Urna fortunâ flebile nec injucundum elegidion

con-

condas? In tenui quidem & obscuro labor; sed tenuibus magnitudinem, obscuris lucem dare, poëtarum est. Ergo laboris ac studii aliquid hortatu tuo in hanc rem contuli; neque, meo quidem animo, non lepidè illa mihi prosperèque successit: eoque nunc confidentius te rogo, ut in Musæo tuo pro Vrne fragmentis hosce versiculos exstare patiaris, mutua inter nos amicitia perpetuam monumentum. Nec illud non opportunitè accidit, ut cum exeunte anno calamitatem hanc (sic enim tecum loqui lubet) acceperis, ego proximè ineunte levationis aliquid dolori tuo carminibus meis adferrem; eadémque operâ Kalendas auspices reliquarum tibi faustas & fortunatas precarer. At hic mihi aurem vellet aliquis, &: Melioris, inquiet, ominis argumentum delegisses, quod his Kalendis offerres, quibus pro longâ jucundâque vita suscipiuntur inter amicos vota, non mortis, non funestarum rerum infertur memoria. In mentem tibi venisset illud Ciceronis, qui Consules ait in habendo delectu, Censores in lustro condendo fausti omnis gratia à bono nomine solitos auspicari: sic & tu bono die bonis verbis usus ex latiore materia strenam apparasses. Audio: sed nihilominus hoc quod tibi, Nobilissime atque Amplissime Domine, concinnavi munusculum, gratum fore confido, propterea quod meorum magnitudo votorum, quibus ipsam etiam immortalitatem tibi precor, tanto objicietur animo tuo clarius, quanto propinquius fuerit posita contrariarum atque mortalium rerum incerta conditio. Accipe igitur hoc amoris in te mei pignus aeternum, & me vicissim, ut facis, ama. Bruxellis, Kal. Ian. Anno 1641.

QUERELA URNÆ FRACTÆ,

Quæ ad Treviros cum cineribus & ossibus eruta, veterum Romanorum esse credebatur, & ad Amplissimum


simum Virum Gergium Uvvens, Equitem, & in
suprema Brabantia Curia Consiliarium missa, in
itineri Trevirensi misero periit casu.

ELEGIA

HUJUS ARGUMENTI I.

Antiquitatem suam commendat.

QUæ quondam gemitus, & verba novissima
fleuntum
Audieram, mœsti pars miseranda rogi:
Cui lacrymas pia turba dedit, tepidâsque favillas
Intulit, inscriptas apposuitque notas:
Quam tenuit, fovitque finu, non oscula testæ
Figere, non manes lassa vocare meos:
Nunc iterum trahor in luctus, & funere tristis
Alterius, cogor tristior esse meo.
Sæcula si memorem, quot adhuc sperare jubebar,
Expleri luctu convenit illa meo.
Te quoque, Posteritas, hæc infortunia tangent,
Crederis & nostris indolitura malis.
Scilicet ad Treviros dum Cæsar fulminat armis,
Condiderat gremio militis ossa meo.
Inde tot exactos credor durasse Decembres,
Et cineris custos fida fuisse mei.
Nec mihi plebeji commissa est funeris umbra,
Parvaque plorato subdita flammea rogo.
Arsit, & Assyrtos spiravit leetus odores,
Et bibit annosum nostra favilla merum.
Armaque, & exuvias, maculosaque tergora, vestes
Munus in exequias Martia turma dedit.
Ter quoque funereos lustravit cursibus ignes,
Ter querulæ mœstum concinuere tubæ.
Nec, licet injectæ cumulo tegeremur arenæ,
Horrebant noctes & sine luce dies.
Vincebat noctem, tenebras vincebat & umbras
Parva, sed æterno viva lucerna foco.



Roma vetus , quamvis Pario de marimore busta
 Feceris , & fulvis texeris ossa cadis :
 Ossaque signaris titulo , famamque sepultis
 Appiades dederint Flaminiaeque viæ :
 Tot licet exstinctis mœstas sacraveris aras ,
 Et , quos deflesti , feceris ipsa Deos :
 Pace tuâ , merui , (siqua est ea gloria testæ)
 Præferri tumulis nominib[us]que tuis. [aræ ,
 Quippe ubi nunc veterum cineres ? ubi funeris
 Quásque potens hausit luxus , & ignis opes ?
 Ardebant silvæ : deerant in cinnama flammæ :
 Quid super è tantis nunc habet urna rogis ?
 Ignorant Manes , ignorat & Æacus ipse ,
 Quo jaceant urnæ fragmina sparsa loco.
 At neque longa dies , nec versæ sedibus urbes ,
 Nec Boreæ nocuit , nec Jovis ira mihi .
 Immortalis ego , carit[er]aque sine videbar ,
 Famaque erat cineri magna futura m[od]o .
 Certè ego iam meritò , siquid conceditur annis ,
 Socraticâ fueram constituenda domo .
 Forsan Apelleo starem vicina labori ,
 Pasceret & manes visa tabella meos .
 Forsan & archetypos inter servanda Cleanthas
 Censeret plutel gloria prima mei .
 Nec tam Lysippi , quamvis animosa , placerent
 Signa , nec Architæ , Phidiacisque lapis ;
 Nec quæ Praxiteles , nec quæ finxere Myrones ,
 Nec quæ Mentoreâ sculpta fuere manu :
 Quàm quod ficta luto , nec tot violata per annos
 Acciperem lapides inter , & æra locum .
 Saxa ferunt annos : nec , si cadit ærea moles ,
 Sic cadit , ut tactâ comminuatur humo .
 At mihi materies fragilis : tamen omnia vici ,
 Et texi cineres inviolata meos .
 Hinc pietas famam , pretium mihi fecerat ætas ,
 Jamque auri præ me lamina vilis erat .

Uvveno ante alios poteram pretiosa videri,
 Qui res antiqui moris, & artis amat.
 Ille meos culto celebraret carmine Manes,
 Sertaque de Cilicum germine multa daret.
 Ille mero cinerem, quæ tot jacet arida sæclis,
 Spargeret: in molli poneret ossa rosâ:
 Adderet & : TREVIRUM PRISCIS EREPTA RUT-
 NIS, [ES.]
 NUNC, QUO DEBUERAS, URNA RECEPTA LOCO
 Quod fractæ fatis est, lacrymas in fragmina fudit,
 Et Treviris illi missa fuisse legar.

ELEGIA IX.

SUPERIORIS ARGUMENTI II.

Dire in bajulum, cujus incuria periit.

Ergò erat in fatis, ut post tot sæcula quis-
 quam:
 Verteret impuras in mea damna manus?
 Grande nefas! &, si judex statuenda vetustas,
 Quo non suppicio noxa pianda fore?
 Credibile est illum furiis immanibus actum
 Effigies veterum comminuisse Deum:
 Templaque, quæis ætas, avidisq; pepercerau ignis,
 Frangere sacrilegâ non timuisse manu.
 Credibile est cineres illum temerasse parentum,
 Credibile est sanctos diripuisse rogos.
 At tibi non lacrymæ veniant, gemitusq; tuorum,
 Improbe, cùm canibus rixa cadaver eris.
 Mille locis sparsus jaceas: trahat ilia vultus:
 Diripient corvi iuacula, membra lupi.
 Et siquid supereft, sanie, taboque nocenti
 Diffuat, & fugiens urere flamma neget.
 Non cineres tegat urna tuos: non indicet usquam
 Ossa lapis, densis semisepulta rubis.

Umbra

Umbra siti pereat, solésque experta diurnos
 Horreat obscenas nocte silente canes.
 Nec tibi præteriens dicat bona verba viator,
 Nec tibi sit tellus quantulacumque levis.
 Cur aliquis cineres potuit tibi, perdite, nostros
 Credere? nil fidei, nil tibi mentis erat.
 Non te depositi tetigit reverentia: non tu
 His pretium sacrīs ponere doctus eras.
 Nescisti demens, quod nec gens barbara nescit.
 Quanto plus illā tu feritatis habes!
 Illa lacros sedet ad tumulos, evictaque luctu
 Solatur querulis tristia fata modis.
 Bustaque conspergit violis, dātque oscula saxo,
 Et cineres sparso lacte, meroque colit.
 Illic vel leviter, scelus est, turbare sepultos:
 Illic, quantumvis parva sit, urna sacra est.
 Hæc è barbariā poteras præcepta referre:
 Hæc, quām me caperes, antè monendus eras.
 Sic fueram cupidis à te stringenda lacertis,
 Sedissēmque humeris non onerosa tuis.
 Ipsa ego te pariter cinerique mihique timentem
 Rexissem trepidi per loca plena metus.
 Sit quoque, dixissem, ne te labor ipse gravaret,
 Quām mihi terra fuit, tam tibi testa levis.
 Quis scit, an, ut verita est Æneam lædere flamma,
 Cūm ferret profugos, Dardana sacra, Deos:
 Sic tibi, per medios ignes mea sacra ferenti,
 Non etiam tutum flamma dedisset iter?
 Certè aliquod mecum nomen, famamq; tulisses:
 Hæc curæ poteras præmia ferre tuæ.
 Nominis & famæ jacturam fecimus ambo;
 Sed non ambobus par venit inde dolor.
 Non tu venturum, si te benè novimus, ævum
 Prospicis: ignavæ semina mentis habes.
 At mihi, si nescis, fama est ante omnia curæ.
 Barbarus est, quem non illius urit amor.

Hæc

Hæc facit, ut meriti tumulo reddantur honores,
Nec cinis ex toto nomina magna tegat.

Hæc facit, ut memori signetur carmine bustum,
Quod velit à populo prætereunte legi;

Utque dies, qui corpus humo lacrymabile texit,
Semper honoratus, semper acerbus eat.

Heu! tua barbaries, tua me socordia læsit,

Et mihi spes tantas abstulit una dies.

Mortis honor periit: requies abrupta sepulto.

Eheu! nullus erit, qui mihi dicat: HAVE.

ELEGIA X.

EJUSDEM ARGUMENTI III.

Effosam se fuisse conqueritur.

Quid mihi, si cinerum fuerant hæc fata meorum,

Posteritas lucem sera videre dedit?

Cum latui, secura fui, placidique sedebant

Ad tumulum Manes: & sat honoris erat.

Jamque per Elysium de me præconia rumor

Fecerat, atque umbræ laus erat ampla meæ.

Sæpe pii vates illic per gramina fusi

Multa super tumulo concinuere meo.

Sæpè meis illic assurrexere silentes

Laudibus, & festos instituere choros.

Pars celebrat Manes: pars Urnæ longa recenset

Sæcula: pars optat sic quoque posse regi.

Dant alii flores: hi fundunt cymbia lactis,

Et, Cineri, dicunt, fundimus illa tuo.

Nil mihi posteritas potuit concedere majus:

Hoc decus, hæc Umbræ gloria summa meæ.

Est aliquid, fateor, superos, lucemque videre,

Et cultas post tot sæcla subire manus.

Est aliquid pretiosa inter monumenta reponi,

Et cinerem vernas inter habere rosas,

Sed

Sed mecum , quæ testa sapit , metuitque perire,
 Devoveat lucem , devovetque manus.
Felix , secreto quæcumque reconderis agro ,
 Et tacitè cincres condis operta tuos !
Felices , quæ te glebæ texere jacentem !
Felices , quæ te composuere manus !
 Si tua jam seris ignota nepotibus Umbra est ,
 Nec cineri veniunt annua dona tuo :
 At tibi constat honos , & adhuc secura pericli ,
 Contegis intacto , quo prius , ossa solo .
Hei mihi ! cur illum nostris invidit honorem
 Manibus egestâ fossor avarus humo ?
Cur aliquis veteres sub terrâ querere gazas
 Institit , & Stygias pñè retexit aquas ?
Cur ferri venas , cur venas eruit auri ,
 Æterni causas , materiemque mali ?
 Damnavit , quæcumq; nocent , Natura tenebris :
 Sic melius positas esse putavit opes .
 Siqua juvant , campis assurgere jussit apertis ,
 Et nulli plenâ non dedit illa manu .
 En ut læta suas extrudunt Gargara messes ,
 Et gravido Chius palmitæ ridet ager .
 Per se Taygetus , per se vires Ida cupressis ,
 Etâque piniferum tollit in astra caput .
 Herbâq; quod prosit , nusquam latet obtuta sulcis ;
 Sponte suâ faciles invenit ipsa vias .
 At propè Tenariis aurum , feirumque cavernis
 Abdidit , & toto pondere pressit humus .
 Hæc furor , hæc terris ardor sceleratus habendi
 Eruit : hic idem nos quoque læsit amor .
 Non ego debueram refodi : latuisse juvabat :
 Fortunæ fuit hæc prima ruina meæ .
 Me miseram : duro quod sim depensa colono ,
 Nescio quid toto dum sibi querit agro .
 Et rursus miseram ! quod non prius ima dehiscens
 Terra mihi Stygios pandit aperta lacus .

Forſi-

Forsitan hæc , nostros olim quæ rexerat artus ,
 Obvia se mediis Umbra tulisset aquis.
 Qui tum complexus ! gelidis quos ossibus ignes ,
 Quas cineri flamas implicuisse amor !
 Non me , si qua fides , carâ divelleret Umbrâ
 Ardentem quatiens Tisiphonea facem.
 Non Minos, Thetidisque sacer , non janitor Orci,
 Quidquid & infernas excubat ante fores.
 Penderem collo , dum nobis una sororum
 Inciperet vitæ ducere fila novæ.
 Quid tamen in nostris potuit placuisse favillis ?
 Cur aliqua est testæ gloria visa meæ ?
 Quid si aurum , fulvóque aliquid pretiosius auro ,
 Aut alias tegerem , quas humus abdit , opes ?
 Quid si Mentoreis circumdaret aspera signis ,
 Materiæque mihi myrrheus esset onyx ?
 Sed modò paupertas cinerum tutela meorum est ,
 Nec mihi materiâ , nec venit arte decor.
 An gelidi cineres , perfusâque fletibus ossa ,
 Rustice , dignum aliquid , quo capereris , erant ?
 Debueras , per si qua meæ tibi cura favillæ ,
 Per si qua est requies , pâxque futura tuæ :
 Debueras (erat illa mei pars optima voti)
 A me fatales abstinuisse manus.
 Inclamasse satis fuerat : Requiescite Manes ,
 Obviâque è prato ferrâ dedisse , satis.
 Quanto ego tunc essem per te defuncta periclo !
 Quot bona , quot cineri commoda parta meo !
 Nunc illum Boreas , nunc illum diripit Auster ,
 Putriâque assiduis imbris ossa madent .
 Quâm vereor , ne , dum solitâ caret Umbra quiete ,
 Erret , & in solis multa queratur agris.
 At nos , ut par est , ne sit miser ille , precamur ,
 Condita qui gremio credidit ossa meo.

ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

OLIVA PACIS,
ORBI CHRISTIANO
IN ACERBO DIUTURNOQUE BEL-
LO AD SPEM PUBLICÆ TRAN-
QUILLITATIS PRÆTENTA.

ELEGIA I.

*Primus ad Reges aditus , ac legationis pro
pace obeunda postulatio.*



T vos qui miserum , Reges , convelli-
tis orbem ,
Quos pacem supplex hostis utrīm-
que rogat ?
Cernite , nil oculi , nil frons hostile minantur ,
Et fidei testes tendit uterque manus .
Signaque submittit , juratāque fœdera poscens
Emeritum clypeo nudat , & ense latus .
Ipse suis mavult precibus , quam viribus uti :
Sit precibus per vos fœderib[us]que locus .
Ipse sui luget causas , & crimina belli ;
Forsitan & lacrymis , quæ tulit , arma rigat .
Ingratum certè quoties dat buccina signum ,
Cogitur invitâ vellere signa manu :

Cogit

Cogitur esse ferox , vultumque aptare furori,
 Et quotcumque jacit tela , coacta jacit.
 Et dolet , adverso quoties haec pectora condit ,
 Et dolet , haec quoties sanguine sparsa vider.
 Palma caret plausu : quâ victor perculit hostem ,
 Hac ferit illacrymans pectora nuda manu.
 Me miserum ! nondum jussos cecinere recessus
 Cornua ? nec praedas , nec piget arma sequi ?
 Nec centum aeratis Bellona coercita vincis
 Quo pridem decuit carcere clausa jacet ?
 Claudite nunc Janum , fratres : sat regna biberunt
 Sanguinis : optatae tempora pacis eant.
 Pax fecundat agros , pax messibus horrea rumpit.
 Excipit & pleno dulcia musta lacu.
 Pace tubæ , lituique silent , & rustica pubes
 Diffingit patriis arima recocta fociis.
 Omnia pace vigent : coeant in foedera reges ,
 Terrarum vultus protinus alter erit.
 Illa , precor , vestros commendent tempora fa-
 stos :
 Illa , precor , per vos otia mundus agat.
 Auguror , eveniet : terra mox mitis olivæ ,
 Ter niveis pennis candida plausit avis.
 Ipsaque Pax risit : vultu quoque risit ab illo
 Lætus ager : nec enim blandior ulla Dea est.
 Cum petitur , lituos inhibet , ferrumque recon-
 dit ,
 Et placidis semper regibus aqua venit.
 Mittite me , Reges : frangam victoribus iras :
 Mittite me : partes conciliantis agam.
 Nec tamen accedam monitis instructus , & arte ,
 Mistaque mandatis regia dona feram.
 Nec mihi dicturo veniat precor aurea fandi
 Copia : sic peragi jam mea causa negat.
 Tique adeò , quem jam cœlo Caducifer altè
 Extulit , & notum regibus aula colit ,

Da veniam, ⁱ Frederice: tuus licet arma retun-
dat

Qui Legatorum venit in ora Liber:
Et licet invictus media inter bella Philippus
Te legat, & Cyneam te vocet ille suum:
Non ego, quas tractas, ineundi fœderis artes,
Non ego Legati jura docendus ero.
Regibus occurram lacrymans, abruptaque fletu
Verba meo, melior pars mihi vocis erunt.
Res facunda, dolor: lacrymis gemitūq; perorat,
Magnaque pro verbis pondera plangor habet.
Ut nihil ipse loquar, poterunt tot diruta pro me
Templa, tot in cineres oppida versa loqui.
Pro me tot cædes, pro me tot busta loquentur,
Et peraget partes muta favilla meas.
Aut hoc, aut nihil est, iras quod flectere regum
Possit, & æternâ claudere bella serâ.

ELEGIA III.

*Christianum sanguinem tot jam per annos ef-
fusum pacem exorare.*

QUÒ raperis stragésque super, disiectaque,
victor,
Mœnia? nec, quanto stet tibi palma, subit.
Te propter coïere acies, cæcoque furore
Alter in alterius sanguine plangit humum.
Quæque erat in mortem simplex, te propter cum-
dem
Ignibus, & ferro multiplicata via est.
Et nostris toties surgunt ex ossibus herbæ,
Et nostrâ toties flumina cæde tepent.

ⁱ *V. N. Fredericus de Marselaer, Eques, septimium Consul Bruxellensis, Legatum scripsit, dicavitque Regi Catholico.*

ELEGIARUM LIB. III. 219

Jam poterant mellis, jam currere flumina lactis,
 Quà nunc sanguineis ripa redundat aquis.
 Et poterant justis componi legibus urbes,
 Plus ubi nunc justis legibus arma valent.
 M̄tre triumphalem capiti deposcere laurum:
 Inficiet nitidas illa cruore comas.
 Hac potes ornatus victorem impellere currum?
 Postibus illa tuis addere ferta potes?
 Et potes hoc cultu miseri simulacra triumphi
 Cernere? jam nuper plena crux erant.
 Hæc domus, hæc turres, hæc arx, simulatq; veris
 Oppida sanguineâ procubuere manu.
 Hic lacus, hic amnis tardos per corpora fluctus
 Impulit: hæc illis ulva cruenta fuit.
 Non populi plausus, non te tua gaudia fallant:
 Aspice, pars melior signa dolentis habet.
 Aspice, confuso facies non una dolori est:
 Pars fœdat lacrymis, pars secat ungue genas.
 Altera communi, proprio dolet altera damno:
 Hæc queritur: gemit hæc: hæc pavet: illariget.
 Illa tibi fratres, sublatos illa parentes,
 Hæc sobolem, viduos imputat illa toros.
 Nec te tot gemitus, nec te tot funera tangunt?
 Heu! animi pietas commiserantis ubi est?
 Excute, quid capiti laurus sedet? excute laurum,
 Cūmque tuis habitum temporis ipse refer.
 Mæsta cinis capiti, capiti funesta cupressus
 Aptior: hæc luctus sint monumenta tui.
 Sic cadet ira ducum, sopitâque bella quiescent:
 Causa patrocinii non melioris eget.
 Muta cinis satis est; cineris quoque bella dedere
 Plus satis: hæc bellis est positura modum.
 Sæpè triumphorum puduit, bellisque superbos
 Vidimus elato funere flere duces.
 Sæpè super strages, vîctor quas fecerat ensis,
 Vidimus impositos diriguisse pedes.

Sæpè quod Orator nequirit, potuere favillæ.

Hæ quoque, quod Martis fulmina frangat, habent.

Utque reor, frangent, & Pax nos alma reviset,
Et miseris finem cladibus ipsa dabit.

Vidi ego qui mores apibus, quæ prælia regum,
Cùm campis acies explicuere suas.

Fit strepitus: dant signa tubæ: concurritur: arma
Pulsa sonant: cæcus gliscit utrumque furor.

Vix & semineces (adeò est victoria curæ)
Destituunt regem, destituuntque suos.

Nec pugnæ, stragique modus: ceduntque, ca-
duntque,

Quàm densâ Boreas grandine pulsat agros.
Vidi ego sed tantos subitò mitescere motus:

Vidi: nec magnæ res ea molis erat.
Pulveris exiguum jacitur: sic ira residit,

Et premitur raucas vox imitata tubas.
Sic pax alma redit, castrisque emissa juventus

Ad flores r̄ meat, mellaque, pacis opus.
Et tumuli pulvis poterit pacare furentes:

Hic satis, ut fastum frangat & arma, valet.

ELEGIA III.

*Cladium vicissitudines pacem extorquere
victori.*

Hoc quodcūmque vides, quâ se latissima tellus
Explicat, & vastas porrigit æquor aquas,
Bellonæ domus est. Pendent in limine primo
Loricæ, & centum pervia scuta locis,
Hastæque, & galeæ, lacerique aplustria mali,
Et fracti remi, rostraque truncæ ratis.
Obsedere fores Diræ, Letumque, Pavorque,
Et quidquid secum Visque, Furorque trahunt.

Hic

Hic & Fors habitat, Spe semper cincta, Metuque,
Et campi dominam credula turba vocat.

Militibus nusquam fida est comes: errat, ut ipsi:
Cumque putas illam signa praेire, fugit.

Ah malè i FORTUNÆ devota est ara MANENTI:
Fallit, & hæc nullas accipit ara preces.

Quo nuper victos victor dare terga coëgit,
Illo terga dedit turpius ipse loco.

Sic quoque (vix credas, sed sunt tua litora testes)
Sæpè ratis periit, quâ modò lusit aquâ.

Nil cuiquam proprium est: momento perditur
horæ,

Iliacus fuerat quod superasse labor.

Sic pueros, si bella licet componere ludo,
Aspicias mediâ ludere sæpè viâ.

Nunc tumulum superant, nunc deturbantur co-
dem,

Inque vicem summo stântque, caduntq; gradu.
Nulli certa quies: urgent, pelluntque, ruuntque,
Emicat & subito, qui modò pulsus erat.

Hæc etiam, miles, fors est tua: vincis, & idem
Vinceris: hæc celeri vertitur orbe rota.

Sic, ubi pugnatum est, steriles sunt præmia lauri:
Hei mihi! non tanti plausus, & aura fuit.

Non negat hoc Sicoris; nuper peregrina ferebat
Vincula: nunc demto gaudet Ilerda jugo.

Non negat hoc Rhenus, non sanguine decolor
Ister,

Dum potitur captis alter, & alter aquis.

O quoties aliquis galeis victricibus Albim

Hausit, & heu, servas nunc bibt exul aquas!

Omnia permutant dominos, & in altera jura,

Dum ferus incautos excipit hostis, eunt.

ⁱ Extant nummi veteres Hadriani Caesaris cum in-
scriptione, FORTUNÆ MANENTI.

Omnia vertuntur : mutat Victoria sedes ,
 Inque alia ex aliis hæc Dea castra migrat.
Et tabulâ nuper veteres ediscere clades
 Mens fuit : in tabulâ maximus orbis erat.
Spectabam terras , quas sol , quas frigus adurit :
 Spectabam portus , velivolumque mare.
Mille animo luctus , mille occurrere ruinæ :
 Et quæ non regio conscientia cladi erat ?
Hic pelagus populos , hîc versa palatia reges ,
 Illic templa suos involüere Deos.
Crederis & Medos sonitu turbasse ruinæ ,
 Cum rueres præceps culmine , Roma , tuo.
Creditur & fumum Troiæ spectasse Menalcas
 Evandri saturas pervigil inter oves.
Sed mihi quò tabulæ ? me convenientius illis
 Effossus regum pulvis , & urna docet.
Hoc ego terrarum tractus in pulvere pingam ,
 Pingimus ut modico regia castra mero.
Quis scit , an è priscis aliquid vetus urna ruinis
 Continet ? huc cineres fors levis aura tulit.
Hic steterat Babylon ; hîc , ardua culmina , turreb.
 Illa Semiramiâ mœnia structa manu.
Hic hortos vacuo suspendit in aëre fornix :
 Hic Beli moles , hîc obeliscus erat.
Hac iit Euphrates , quæ Cyrus victor in urbem
 Irruit : hoc fixit Persica signa loco.
Illic Rex miseram falsa inter gaudia noctem
 Finiit , & fuso sanguine sparsit humum.
 Exitus hic tuus est , Babylon. Quis fidere regnis
 Audeat ? hæc alius speret , & arma proberet.
 Vidimus hinc Persas opibus ferróque potentes :
 Nec minus has ferro Græcia fregit opes.
Susa , et caput regni : dederant his Lilia nomen :
 Stabat & hîc superas arx imitata domos.

Fulge

2 *Susa Græcè , Latinè Lilia dicuntur.*

ELEGIARUM LIB. III. 223

Fulgebat thalamus , qualem Jovis esse deceret,
 Stelláque chrysolythus , stella pyropus erat.
 Sed thalamum Susis , & avitam Græcia sedem
 Sustulit , & floris forma caduca fuit.
 Tum Macedum crevere animi , crevere triumphi ,
 Sensit & Emathias ultima terra manus.
 Magne , quid extremos bellum moliris ad Indos ,
 Inque parente tibi fingis utroque Deos ?
 Quantus eris , fuerisque , brevi metire favillâ :
 Si nescis , patrium prodet & illa genus ,
 Ut , quoties ridens transibit busta viator ,
 Dicat : Et extinctos hæc habet urna Deos .
 Iussérat eversis salvam tibi , Pindare , Thebis
 Stare domum : Musis hoc dedit ille tuis .
 Sed Musis ubi nunc , & sedes clara tropæis ?
 Et Thebæ steterunt , & tua Musa fuit.
 Huc modò Tænariis veniat Darius ab umbris ,
 Huc modò trans fati litora , Pore , veni .
 Nil veteris regni cernes , & multa querenti
 Non audituro pulvere verba cadent.
 Invidiae fuerant , nunc sunt sine nomine regna ,
 Et cinis eversos occulit alta focos .
 Tantaque Pellæi quondam monumenta laboris
 A tenui solùm pulvere nota jacent.
 Hæc fati pars , Roma , tui est , licet æmula Divis ,
 Et nova Dardanio Troia renata rogo .
 Naumachiae , circi , thermæ , amphitheatra , colossi
 Nomina sunt ipso pænè superba sono ,
 Nec tamen illa suis non incubuere ruinis ,
 Romaque nunc Romæ tota sepulta jacet .
 Parva loquor . Vatem mater turrita Deorum
 Audiat : afflatu nos quoque numen agit :
 Quas modò cumque suis inventa leonibus urbes
 Ingreditur , cinerum grandis acervus erunt .
 Regia pauperibus procumbet mista tabernis ,
 Terraque quas moles vix tulit , aura feret .

I nunc , tolle animos , & avitis extera regnis
 Adjice , dum durus te manet ille dies.
 O quanto melius , si sic Mars omnia versat ,
 Quisque suo poterat consenuisse lare !

ELEGIA IV.

*Bellicæ gloriae vanitatem , in Pompeio & Ca-
 sare expressam , animos ad pacem & tran-
 quillitatem impellere.*

NE tibi sit tanti , studiis clarescere belli ,
 Nomen & invictos inter habere duces .
 Una dies veniat , quam summis dixit & imis
 Æacus , ex illâ vix quoque rumor eris .
 Illa dies veniat , victis misceberis umbris ,
 Nec minor has , nec te grandior urna teget .
 Urna teget cineres , cuius modò terra triumphis
 Deerat , & Europe parva Seriphos erat .
 Ah cineres ! & adhuc Martem spiramus , & arma ?
 Turbaque mortales ambitiosa sumus ?
 Ah cineres ! & adhuc volitant in pulvere currus ,
 Quò vocat effusas meta superba rotas ?
 Heu ! male dant signum litui : male plausibus
 æther
 Consonat , & rapidis area fervet equis .
 Siste triumphales , Pompei , siste quadrigas ,
 Dùmque licet , voti contrahe fræna tui .
 Parva mora est : mors te mediâ deprendet arenâ ,
 Eqhe datis spatiis in nigra busta trahet .
 Et modò dum Libyæ noctis , Solymæque catenas ,
 Et Latio Armenias Mars tuus addit opes ,
 Et nullum tibi Roma parem patiturque , timetq;
 Iffunduntque animos nomina magna tuos :
 Quid nisi probrofi petitur tibi fama sepulcri
 Clarior : I , famæ consule , Magne , tuæ :

Solve

ELEGIARUM LIB. III. 225

Solve rates : angusta tuis est terra triumphis :

Mars favet : expectant carbaſa : solve rates.

Scilicet ut Tanaim ſupra , Scythiaeque paludes

Naufragium ſpargat ventus , & unda tuum.

At, puto , navifragæ tabulas atque arma carinæ

Excipiet portu Memphis amica ſuo.

Vaticinor , moneoque : Pharon fuge : litora fal-
lent ;

Illa Caphareas expoſuere faces.

Cur placet hæc tellus ? nondum tellure receptus

Cervices puero , ſemivirōque dabis.

Quid mare tunc , terrasque metu compleſſe ju-
vabit ,

Si trepidam tellus claudat , & unda fugam ?

Quid Libyos ad templa Deūm duxiſſe triumphos

Si Lybico vix te litore terra tegat ?

Felix ! ſi neque tunc cinerēs ſpargantur iniquo

Turbine , nec jactent fluctibus oſſa Noti.

Non gelidi lepto manes nitentur eburno :

Non , non illa tuæ gloria mortis erit.

Qui lacrymas , qui dona tuo ferat ultima buſto ,

Qui tumulum ſtatuat litore , nullus erit.

Sola dabit gemitum fugiens Cornelia : ſolus ,

Et ſatis in pompa ſordidus uſtor erit.

Hic funus faciet miſerans , flammæque rogalii

Injiciet laceræ naufragia membra ratis.

Forlan & optabit (quid enim tibi grandius optet?)

Armatâ ſoceri te cecidiſſe manu.

Oſſaque componens : Heu ! fletu dicet oborto ,

Hic Mars , & Martis fulmina fracta jacent.

Nec tibi , qui victor genero pereunte triumphas ,

Fors aliud , quamvis fit modò blanda , dabit.

Quid tibi vis ? ut te videant Capitolia regem ?

Ut timeat fasces Roma ſubacta tuos ?

Dii melius ! mediisque precor diſtricta Senatu

Excidat attoritâ perfida ſica manu .

Nec Capitolinis servatos arcibus ignes

Extingui videat sanguine Vesta tuo.

Ipsa Venus toto jacet suspiria cælo,

Nec poterit generis fata movere sui.

Mille locis frustra rorabunt sanguine nimbi,

Mille locis frustra collacrymabit ebur.

Terrebit vates, uxor terrebit cuntem:

Nec sistet cœptas ille, vel illa vias.

Ibis: & ô cui te servavit Roma furori!

Hei mihi! Mars Idus horruuit ipse suas.

Ter quoque Pompeii gemitum simulacra dedere,

Hostia cùm tetigit sanguinolenta pedes.

Hæc vitæ pars summa tua: sic bella piastis

Egregiè fortæ tûque, genérque tuus.

Dixerat Anchises, cùm vos in valle videret

Elysia studiis ire animisque pares:

Ne pueri, ne tanta animis assuecite bella:

Quæ petitis bello præmia, crimen habent.

Tûque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,

Stellarum aucturius post tua fata choros.

Projice tela manu, sanguis meus: illa feroce

Illa petant Parthos: inde triumphus eat.

I licet, aversis sœva ingere spicula tergis:

I licet, umbra tuas poscit iulta manus.

Ah! nihil Anchises potuit, serisque nepotes

Intra fortunam non finit ire furor.

Ferre parem pudor est: pudor est spectare priorem:

Nec pudor est patriæ vertere jura suæ.

Roma ruit: Parthi votis, miserisque fruuntur

Excidiis: aliquas signifer hostis habet.

Qui bellum reparet, qui Martia signa reposcat,

Qui Crassi manes vindicet, ultor abest.

O Superi! liceat curas odiſſe potentū,

Nec veniat famæ tam mihi dira sitis.

Sit me fas Ulubris, sit fas celare Bovillis,

Et procul à strepitu vivere, Roma, tuo.

Hic

ELEGIARUM LIB. III. 227

Hic ebur, & fasces, & quæ bona plurima falso

Vulgus amat, nobis unius assis erunt.

Hic ego sim, facilésque mihi dent otia Musæ,

Quæque canam, Musis ipse mihi que canam.

Nec mihi sit, vulgi mirari more curules.

O quantum curis vita soluta juvat!

Hic tibi, Simplicitas, ædem poneimus, & aram,

Materiésque operis promta futura mei est;

Seu densi frutices, seu vulsi ex ilice rami,

Seu de vicino canna petita lacu.

Hic veniente die faciam, faciámque cadente,

Et bona mens quavis hostia major erit.

Nec vatum lauros, nec spernes pauperis horti

Munera: res sacris convenit illa tuis.

Sic lateam, sic mecum habitem: neque scire laborem,

Cui faveat Mavors, cui nova regna paret.

Ipse ego rex, dominúsque mei, felicia semper

(Invideant reges) otia latus agam.

Simplicitas, & cana Fides, Verúmque, Pudórque
Securum regni me volet esse mei.

Hi vigiles, hæc me tutum custodia reddet,

Dum veniat mortis non inhonora dies.

Tum te cara sequar, quo me, Natura, vocabis

Ordine, compositus, non timidúsque mori.

ELEGIA V.

*Cæorum manes aut pacem, aut pœnas
exigere.*

PAcem iterùm, Reges, pacem veniámque ro-
gamus.

Hei mihi, quòd parvo est nostra Thalia sono!

Mars fremuit: rapit arma furor: non audior ulli,

Et litui numeris obstrepere meis.

Fratres

Fraternæque acies , & regna minantia regnis.

In miserias ardent cominus ire neces.

Ergò erit , ut strictis satient mucronibus iras ?

Nec , qui , Mucroni parcite , dicat , erit ?

Nec patriæ luctus , nec vox suprema cadentum ,

Nec meus excutiat regibus arma dolor ?

Ite , ciete acies : & , si victoria tanti est ,

Multa cadant terrâ corpora , multa mari.

At quotcumque cadent , victis , precor , ira resurgat

Manibus , atque in vos justius arma gerant.

Insidiant mœsti solio : saniemque cruentam

Per thalamos stillent vulnera , pérque toros.

Sæpè minas , & mista minis convitia jaſtent ,

Sæpè ferant trepido ſomnia plena metu.

Et modò dicantur pœnas sumfissæ merentum ,

Dicantur cinetes exſatiasſe ſuos.

Non levis ambitio , per turaque gloria tanti ,

Hostibus ut mediis objicerentur , erat.

Tunc , ita ſim vates , infecta cruoribus arma ,

Ipsaque pallori præmia Martis erunt.

Tunc cædes animis , tunc leti occurret imago

Plurima , nec ſiccis vos ſinet ire genis.

Nec ſinet æterno ſignari carmine mortes ,

Nec titulum ſpoliis , exuviisque dari.

Vera equideim moneo : jam nunc mihi vera momenti

Fortia præ nimio verba dolore cadunt.

Ipsa Pales mecum deformes ossibus agros

Deserit , & lacrymas poſſe tenere negat.

Naiades mixtos horrent cum ſanguine fontes :

Sunt quoque , quæ fontes deserüere ſuos.

Et fractis Satyri calamis , Faunique bicornes

Ingeminant elegis flebiliora meis.

ELEGIA VI.

*Pacis angurium à columbâ , cujus in ore Oli-
væ ramus , S. D. N. Innocentii X. Ponti-
ficiis Maximi gentilitiâ tesserâ .*

Non ego bella canam, nec, si me Musa Poëtis
Inserat, hinc famam carminis ire velim.
Quærite, victores, alium, qui talia cantet:
Non facit ad Musas pugna, cruxque meas.
Et mihi nectendis nusquam placet herba coronis:
Præfert nescio quas decolor herba notas.
Cæde madet, quosque illa bibt conspersa liquores
De propè currenti flumine, sanguis erant.
Nec mihi jam quernæ possint succurrere frondes,
Et quæ servato cive corona datur.
Ah! nihil est, quernam capiti meruisse coronam,
Sanguine dum tanto laurus emenda venit.
Sola placet, quam Pax orbi prætendit, Oliva,
Lamechidæque tulit blanda columba seni.
I bona, quò sancti rursus senis ire juberis
Auspiciis: signum pacis, ut antè, refer.
Sic tibi Tarpeiae secura cubilia turres,
Et pelluentes det Tiberinus aquas.
Sic rutilet cervix, & mille coloribus Irim
Vincat, & Eoo munera lecta mari.
Sic populus neq; trux animis, neq; turbidus armis
Exemplo pacem discat amare tuo.
Sic tibi se Reges, quod majestate mereris,
Et pedibus subdant Martia signa tuis.
Próq; Semiramidos, quibus hæc nutrita, columbis
Te Syrus haud vanâ relligione colat.
Sic tibi sit, faustum semper, quod & approbet
æther,
Regibus auspicium, Cæsaribûsque dare.

Inque

Inque illo , qui nunc Romano præsidet orbi,
 Pacificum nobis proſit habere patrem. [rhæ,
 Hei mihi ! plus aliquid Mavors, quām ſæcula Pyr-
 Plus quām navifragas ille minatur aquas.
 En tibi ſub pedibus i ruber eft à ſanguine campus,
 Nec tuus in campo pes ubi ſiſtat , habet.
 En ſilvas , urbēſque tenent delphines , & altis
 Incurſant oleis , decutiuntque comas.
 Hic ſegetes , illic vites ſternuntur , & ulmi :
 Hic pecus , hic stirpes , hic rapit unda domos.
 At ſperare licet : non fruſtrà diceris ales
 Auspicii , quoties mitteris , eſſe boni.
 Auspice te quondam cecidit maris ira , cadētque
 Quæ nunc Mavortis ſevior ira mari eſt.
 Forſitan & jam nunc videas emergere colles ,
 Altāque , quam carpas , eminet arbor aquis.
 I , ramos , i , quære novos , pacēmque reporta :
 Iam ſibi , jam per te redditus orbis erit.

I Rubra eft ſcuti Pontificii area,



APPEN

APPENDIX
A D
E L E G I A S

J A C O B I
W A L L I J

A D
R. P. JOANNEM CAROLUM
GILLEBERTUM,
PRIMÙM SACRIS OPERANTEM.

ELEGIA.

EPULUM AMORIS.

Argumentum.

1. *Ab amore primūm instituta esse convivia , ab
eoque hoc carmen.*
2. *Ea quidem initio fuisse frugalia , sed quantum-
vis profusa deinde fuerint , amantes nihil sui his
inferre potuisse.*
3. *Christum se edendum bibendumque apposuisse.*
4. *Ex ejus instituto divinum hoc epulum instaurari.*
5. *Novo sacerdoti gratulatio , quod secundūm ipsas
sacrorum primitias de Sacramentis publicè & cum
laude disputaverit , brevi universa Theologiae
placita defensurus.*

Primus amor mensas genialiter hospes amāti
Creditur , & pictos instituisse toros.

Primus

Primus quid calices , quid possent fercula, vidit,

Quæque inter calices verba salésque jacit.

Sic dulces coiere animæ , sic oscula dextris,

Et dextræ , fidei pignus , utrïnque datæ :

Cumque aditum dederat facilem domus hospita
mensis ,

Post etiam facilem tessera sacra dedit.

Quæis idem victus , cum mens foret una duobus ,

Pænè fuisse putas his quoque corpus idem.

Si non corporibus , certè nos mentibus unos ,

Nomine non uno, Carole , junxit amor.

Nos quoque , quid dulcis valeat convictus aman-
tum

Novimus : inde tui pars ego , túque mei.

Pieridum sacros duce me tibi tangere lucos ,

Et juga summa manu prendere cura fuit.

Fontibus hîc pariter, pariter confuevimus umbris ,

Et brevis est lecto carmine visa dies.

Quin etiam nobis præiit Polyhiminia cantu

Sæpè Pelasga suo, sæpè Latina suo.

O utinam Musis , nec sit mihi dicere tantum ,

Anteferat nostris postera fama tuas :

O Ego , venturo dum tu celebraberis ævo ,

Pars dicar famæ parva gradusque tuæ.

Hactenùs hæc : dum nunc epulum cælestis amoris

Instruis , hoc à me carmen amantis habe.

Carmina quis nescit mensis audita secundis ,

Dum rosa , dum circa tempora nardus erat.

Vina Phryges, longum Phœnissa bibebat amorem ,

Cum faceret pulchros pulcher Iopa modos.

Et tuus hospes erat cum Cæsar Achorea cantu

Audivit fontes, Nile , referre tuos.

Et mihi jam faciles aspirant , Carole , Musæ ,

Et mihi materiem lux tibi sacra dedit.

Non rerum causas , non sidera Carmen Iopæ ,

Aut Nili Mauro persequar orbe caput.

2. Carmen erunt epulæ : sed nil hîc marcida luxu
 Corpora , nil sumptus deliciásque moror.
 Delicias inopes , viníque & frugis inanes
 Arcani magni conscia Musa dabit.
 Nec verò quondam stabant convivia magno ;
 Tam victus simplex , quam rude vulgus erat.
 Plurima si deerant , supplebant plurima vultus ,
 Et cœnæ pretium conciliabat amor.
 Sat fuerant vulsæ teneris à stirpibus herbæ ,
 Et tempestivæ , quas dabat hortus , opes :
 Aut lapathum , malvæque leves , aut roscida mella ,
 Puraque fictilibus condita mella cadis.
 Imbellem leporem , raptumque ab ovilibus agnum
 Qui poterat mensis addere , dives erat.
 Legerat ipse suis natas in collibus uvas ,
 Rorabant horno pocula parva mero.
 Si qua levi fuerant , ut erant , instructa paratu ,
 Ornabat verbis qualiacunque suis.
 Sensim aliquis multò duxit convivia luxu ,
 Sylvaque delicias Oceanusque dedit.
 Spumarunt pateris longinquo vina petita
 Litore , quæ Lesbos , quæ Mareotis habet.
 Cum sitis in gemmâ , cum fese explesset in auro ,
 Explerunt aurum gemmâque porta sitim.
 Prodigia res amor est : uni patrimonia mensæ
 Intulit , & regum fregit & hausit opes.
 Omnia cum dederat terrâ quæsita marique ,
 Pars tamen hæc inter non erat ulla sui.
 Sæpè queri solitus , nec deerant verba querenti ,
 Quod dapibus licuit , non licuisse sibi :
 Non licuisse sinus animæ , non ima subire
 Pectora : se præter quod daret , esse leve.
 Audierat regina tuos lugentis amores ,
 Cum fleres raptum sola relicta virum .
 Inferias tumuli celebres , vittasque comasque ,
 Aureaque accensis addita dona rogis.

Audie-

Audierat castos cineres in viscera mersos :

 Unum , quā potuit , sic duo corpus erant.
Inferias , fidōsque magis laudavit amores :

 Sed laus hæc viduæ , dixit , amantis erat.
Exangues tantūm , quos ignis adusserat , artus

 Intritos lacrymis combibit illa suis.

Non potuit tumulo manes excire sepultos :

 Quin potius tumulus Manibus ipsa fuit.
Fama rogi supereft : dives fortuna sepulchri

 Materies vatum est : cætera tempus habet.

Hæc memorans videt ipse suo quid defit amori ,

 Quamque sit officii gratia curta sui.

Est aliquid præter mensas , quod pascit amantes ,

 Est aliquid præter vina , quod ora levat.

Fortè aliquem ceræ ceram miscere liquentem

 Viderat : O voti res , ait , illa mei est.

Cur non sic animis , cur non sic liquimur igni ,

 Vitáque commissos nos habet una duos ?

Quid faceret ? vultu collóque pependit amantis :

 Hoc saltem , quo se fallere posset , erat.

Nunquam igitur vivos animis , & pectori toto ,

 Et toto penitus corpore jungat amor ?

3. Nata Deo , tuus hoc (nec enim contendere votis

 Huc licuit nostris) hoc tuus egit amor.

Jam nostri generis , nostri jam sanguinis unus

 Hostia pro nobis sacra futurus eras.

Ultima lux aderat : lucis pars ultima cænæ

 Cessit : honor cænæ lacteus agnus erat.

Agnus erat , quem tu factis animoque referres ,

 Vinctus ad indignam cum raperere necem.

At priùs in socios tu te partiris amantes :

 Ipse dator donum te facis esse tuum.

Attollis cælo vultus , gratesque parenti ,

 Ut locus & pietas , résque ferebat , agis.

Tum ritu lustrata novo Cerealia sanctâ

 Dona manu , non hoc deinde futura , capis.

Imple-

APPENDIX AD ELEGIAS. 237

Impletámque capis pateram , libásque cruentem

Inde tuum : verbi vis fuit illa tui.

Quid non hoc potuit ? nondum quid jusserat esse :

Esse fretum , terras , sidera jussit , erant.

Magne opifex rerum , te nobis corpus edendum

Sic potuisse tuum , sic voluisse dare ?

Vitam summa dies , at non finivit amorem :

Suppicio vires cepit ab ipse tuo.

Hunc quoque jussisti ritum servare minores,

Ne qua foret meriti non memor hora tui.

I bone , flaventes i , decute messor aristas :

Vinitor i , praelis exprime musta tuis.

Hæc sacra , triticeas donec teret area messes,

Donec florebit vinea , semper crunt.

4. Dum loquor , atque ipsis mihi mens salit excita
verbis ,

Quo rapior ? tua me , Carole , sacra vocant.

Te video subeuntem aras , epulásque parantem.

Hoc age : quisquis adest , lingua animisque fa-
vet.

Et res in promptu est : quid panus paratus ? æquè
Pauperibus cibis est divitibusque datus.

Nil opus undanti spument Carchesia Baccho ,

Ut toto madeant sanguine , gutta sat est.

Nec levius quidquam verbis : age , concipe ritè
Paucula , & in manibus corpus amantis erit.

Certa fides verbis : ne gustum consule ; fallet.

Quod gustus , quod res visa refutet , cede.

Quod fuit , esse nega : fesc hac sub imagine celant.

Majestas & amor : quod fuit , esse nega.

Sic aliquis cœnavit aves , conchylia , pisces :

Nec gustus pisces , nec referebat aves.

Ipsa quæ celabant notos conchylia succos ,

Delicis tantum fercula nota suis.

O mensæ novitas ! cibus est , totoque receptus

Pectore te reficit , te sibi miscet amans.

Cœna-

Cœnarum quota pars avido contingitur ore,

Cum totam explicuit mensa superba penum?

Exiguum est, quod & hîc gustu libatur & illuc,

Pascendis oculis cætera pompa datur.

At tuus est, totûisque tuo se pectore condit,

Qui, quam misisti, voce vocatus adest.

Audiat hoc æther, & si quis livor in illo est,

Invideat: manso pasceris ipse Deo.

At non vitali consumitur ille calore:

Quâ tegitur species interit, ipse manet.

Ipse manet, plenûmque sui te pascit, & in se

Vertit, & in mores te facit ire suos.

Vidi ego sic truncos alieno sapè feraces

Germine naturam dedidicisse suam.

Fagus castaneis, ilignis glandibus ulmus

Obsita, cana pyri floribus ornus erat.

Quæ dederat sterilem platanus potantibus umbrâ,

Stipite nata suo non sua poma dabat.

Felix, qui mensis infersa alimenta loquendo,

Quæ faciant homines, quâ licet, esse Deos!

5. Atque iterum felix, dentam qui sàpè coronam

Diceris eloquio sustinuisse tuo!

Nunc, dum sacra facis, curæ fuit illatueri:

Et benè tutelæ credita sacra tuæ.

Ut responsa dares, tibi mens, tibi lingua, vigóraq;

Qui potuit dictis maximus esse, fuit.

Si liceat conferre tuos bellique labores,

Hæc arcis facies, quam quatit hostis, erat.

Non te missa super telorum turba valentem

Terruit: audenti est illa repulsa manu

Dum miles validus, dum pars adversa sub iectu est,

Sæva quidem patitur, non timet arma locus.

Inde tuo major signata est area Marti,

Et mihi tum plausus causa futura novi.

At nunc cælestes epulas, libataque dicam

Munera, quæq; hominem signa Deumq; tegunt.

Quos

Quos tibi tum credam libanti talia motus

Gliscere ? quos ignes pectoris esse tui ?

Ureris , ut rutilæ tua circum altaria tædæ ,

Ut saceris à te thura cremata focis.

Et nihil est , quod non plenus jam numine possis,

Et nihil est , quod non vixtus amore velis.

Nec satis est tibi te , saceris jam ritè litatis,

Cælestes inter sacra parasse dapes.

Convivas adhibes plusquam regaliter aris ,

Millia quot nunquam Persica mensa tulit.

Nulli non molles aditus ; sua sit modò cuīque

Tessera, non facit hîc ulla repulsa metum.

Non terret magni præsentia numinis , & qui

Fulgor ab ardenti plurimus ore venit.

Qui solis retegit radiis , quem condidit , orbem ,

Exiguo farris sustinet orbe regi ;

Sustinet & latebras animæ pectusque subire ,

Angustosque vocat maxima regna sinus.


Usque adeò , ut faciles hominum se fingat in usus ,

Invento pietas ingeniosa suo est.

Nil amor hoc melius , nil ipsa potentia majus ,

Quod det , habet : positus limes utriusque suus.





JACOBI
WALLIJ
E SOCIETATE IESU
LYRICORUM
LIBER PRIMUS.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

F E R D I N A N D O
A FURSTENBERG,

S. D. N. ALEXANDRI VII.
CUBICULARIO INTIMO,

CANONICO HILDESIENSI ET PADERBORNENSI.

In situm est, Illustrissime ac Reverendissime Domine, rebus omnibus à naturâ, ut quibus principiis ortum, iisdem & incrementum debeant. Quem animantes à corde sanguinem, & spiritum, & calorem semel acceperunt, eodem deinde vegetantur, & crescunt. Novellas arbores, priusquam è seminario transferantur, rubricâ notari jubet Columella, ut, cum alio in solo designtur, easdem celi partes aspiciant, quas antè conspexerant. Nec alia est in scien-
tias ratio. Quid vite sanctimonia? Divinis præsidiiis & exercitationibus virtutum in dies provehitur, à quibus initium fecerat. De amicitiâ nostrâ

philosophari similiter mihi tecum lubet;
cujus ut fundamenta sunt posita, ita se-
qui velim cetera. Quantā cum volupta-
te existimas illius temporis à me usur-
pari memoriam, quo primum illa coa-
luit, neque literis tantum, sed versibus
etiam ultrò citrōque missis adolevit, &
floruit? Est enim hoc Musis cum virtu-
te commune, ut eos etiam quos num-
quam vidimus, ob illarum cultum singu-
lariter diligamus. Plotinus, Philoso-
phorum è Platonis familiâ suo tempore
princeps habitus, animas quasdam esse
dixit, quas non alieno vocabulo sulphu-
ratas nominari posse existimabat, quod
ob egregiam indolis morumque consen-
sionem statim primo congressu altera al-
terius amore inardescat. At profectò in
nullos aptius hæc appellatio conveniat,
quām in poëtas, qui preter naturalem
ingeniorum cognationem, quā inter se
arctissimè continentur, studium pretereat
in eas artes intendunt, quæ propter sum-
mam suavitatem blandissimè se in ani-
mos

mos insinuant, & amorem inflammant.
Quid hic ego amicorum paria commemo-
rem, quando, ut produnt fabule, va-
gam multitudinem iisdem mœnibus, di-
sciplinis, legibus, judiciis, sacrorum ri-
tibus prima devinxit Poëtica? Ample-
ctor igitur, amplector illam humanae
societatis conciliatricem dulcissimam,
eique gratiam habeo, non modo quod
me tibi adjunxerit, verum etiam quod
nunc mihi suppeditaverit aliquid, quo
videbor amicitiam nostram & publicè
colere, & constanter tueri voluisse. Ve-
rūm si de officiis agitur, fateor quod res
est, tuis vincor: idque non in tuâ so-
lum laude pono, sed etiam, quod mire-
ris, meâ. Quid enim? egone ignorare
possim, quantum ad laudem meam in-
tersit aditum Musis meis ad Alexan-
drum VII. Pontificem Optimum Maxi-
mum, te agente, patefactum esse? sile-
re possim incredibilem in illâ altitudine
comitatem, quâ libellos nostros, te por-
rigente, sumet in manus? silere bene-

ficia, te interprete, ab eodem mihi im-
petrata? Sacra quidem antiquitati
fuere fontium capita, creditaque iis
ineesse vis major Numinis, quod perenni
suo cursu referre proprius videantur bo-
nitatem illius inexhaustam & profu-
sam sui: sed tamen quid debeat aqua-
ductibus Roma, testis es ipse, qui urbem
vides variorum Pontificum magnificen-
tiâ dulcibus ac salutaribus aquis è lon-
ginquo perductis irrigari. Adeoque cum
& ego Pontificie beneficentie fontem,
cujus venas uberrimas supremum illud
ac divino suppar imperium aperit, quâ
possim observantiâ & veneratione pro-
sequar: est tamen quod in his ipsis be-
neficiis & amicitiae tuae, & in urgenda
occasione vigilante acceptum meritò
refreram. Sed hæ amoris cause, que
mihi tecum sunt, habent quidem, quia
privatae, suavitatis multum; aliae ta-
men, quia publicæ, plus splendoris ac
dignitatis. Societatem quippe nostram
impensè à te amari tua laus etiam est,
cuius

PROSOPHONETICA. 245

cujus te heredem fecit Illusterrimus
Patruus tuus Theodorus Furstenbergius;
Episcopus Paderbornensis, vir famâ, &
quæ illam peperit, virtute immortalis,
rei ad Paderæ fontes perditæ restitutor,
Catholicae libertatis vindex, Collegit
nostrî Fundator, Imperii Princeps, Pa-
triæ Pater. Infinita sunt merita, quæ
ab illo in varium hominum genus sunt
profecta. Quid, quæ in urbem Pader-
bornam, quam perduellum furori &
armis eripuit? in Pontificatus sui Se-
dem, quam Romanæ restituit? in reli-
gionem, quam collapsam erexit? in
populum fidei sue creditum, quem ser-
vavit? in urbem iterum suam, quam
ornavit & communivit? Cui cùm pre-
sidium aliquod adferri posse existimâ-
ret à Societate nostrâ, Collegium no-
strum velut alteram religionis tuendæ
arcem ibidem constituit, è quâ mili-
tares educerentur copiæ, quæ, quocumque
ille velut imperator evocaret, irent in
solem ac pulverem: utque paratiiores

L 3



246 ALLOCUTIO PROSPH.

animis atque corporibus aut rem age-
rent, aut in procinctu starent, suis illas
stipendiis liberalibus atque perpetuis
ali voluit. Quæ immortalia Patrui tui
beneficia uti in oculis gerimus, & quasi
comprehensa manibus tenemus, ita re-
cordatione tantæ virtutis, quam heres
adisti, illum adhuc in te superstitem
ac vivum intueri nos credimus. Ego igi-
tur publico privatique nomine hac
qualicumque inscriptione, quam & ali-
bi & post me legendam auguror, testari
cupio magno quidem nos debito appellari,
sed tamen, si interdum alii debito-
res non respondeant semper ad tempus,
nos saltem primam, quæ à beneficiis
præstitis exigitur, pensionem nullo non
tempore solvere voluisse agnoscendo.

ODE

ODE I.

S. IGNATIUS LOIOLA
 SUB JESU SIGNIS
 NOVI ORDINIS DUCTOR:
 S. FRANCISCUS XAVERIUS
 IN INDIAM MILITIAE SUÆ SIGNA INVEHENS.

Cum bellicosus Cantaber è tholo
 Suspendit ensem: Non ego lugubri
 Defuncta bello, dixit, arma
 Degener, aut timidus perire
 Miles resigno. Me nova buccina,
 Me non profanus militiae labor
 Deposcit: & magnos secutus
 Auspicio meliore Divos,
 Non indecorus transfuga, Cæsarum
 Signis relictis, nil cupientium
 Accedo castris, iam futurus
 Splendidior sine clade vñctor.
 Quam si propinquis Gadibus ultimos
 Jungam Gelonos, aut Ligeri Tagus
 Graves triumphato catenas
 Injiciat, Rhodanóque Bætis.
 Hæc elocutus Virgineis caput
 Devovit aris, nec violabile
 Dixit sacramentum: ter aræ,
 Ter subitæ tremuere flammæ.
 Exinde quò te non rapuit tuus,
 Loiola, Mavors? Exiguus fuit
 Europa limes: navigarunt
 Ad Brasilos, Japonásque bella.
 Beata classis! non tibi nauticum

Cupido funem sordidus abscidit :

Non arma bellatrix , & Indis

Signa vehis metuenda regnis.

I, rumpc fluctus, labere naufragi

Secura ponti. Xayerium vehis ,

Regum Navarorum beatam

Progeniem , generi daturam

Nomen, quod olim primus & ultimus

Miretur orbis , nec minuat dies.

Illum inter undosos tumultus

Hippotades, Helicéque, & omnis

Observat æther. Ille, ubi turbido

Malus fatiscet saucius Africo ,

Intérque clamores paventum

Deficit tumidos carina

Durare fluctus, jura dabit mari , }

Ventis & undis imperiosior:

Nautæque si desint ratæque ,

Ipse sibi ratis, ipse nauta.

Ille & recepto vaticinans Deo

Spe tabit absens æquore fervido

Depræliantes, & crematæ

Relliquis opibuscque classis

Armis timendas & numero virum

Frangi triremes. Illius ad precem

Succumbet indignans, suisque

Funera Mors rediviva cernet

Exire bustis. Sæpè & inanum

Aras Deorum prouet, & Deo

Æterna victori tropæa

In mediis statuet ruinis.

Quin & favillas, saxaque montibus ,

Cæloque flamarum elicit globos ,

Stantæque nutu vertet arces.

Perfidæ manifestus ultor.

Heu quantus illi sub Jove torrido

LYRICORUM LIB. I.

249

Sudor! quot illum, dum metuit nihil,
Pericla circumstant! minatur

Multa viro mare, multa tellus.

Quoscumque adibit, conscientia sentiet
Crux sacra casus, sub patrio lare

Sudans, & absentis labores

Sanguineis miserata guttis;

Seu Maurus illi pocula luridis

Tinget venenis; seu tabulâ super

Innabit alto; seu jacebit

Litoreâ moribundus algâ.

Orbem minorem dimidio sui

Vicina Calpes ad juga quid tuis

Metatus, Alcide, columnis

Diceris, emeritique signum

Fixisse cursus? Quid spatii super,

Metire, quâ se porrigit Africa,

Indusque, Gangesque, & jacentes

Axe sub opposito Molucæ.

Huc, huc columnas, quos posuit tuo

Virtus labori Famaque terminos,

Huc transfer. Inscríbam: NEC ILLAÆ

XAVERIO POSUERE METAM.

Sic vedit Eos, vedit & Hesperus,

Quid lecta posset Loiolidae manus,

Sortita quas sol cumque anhelis

Afflat equis retegitque terras.

Cæloque signum credidimus datum.

Quod Roma ut altis extulit arcibus,

Quas undique excitas coëgit

Illa acies! quibus arsit armis!

Non ipse, quamquam per freta Thessalæ

Florein juventæ traxit, & igneos

Sop're juratus dracones

Æolio grave vellus auro

Ferox Iason Æmoniâ procul

Avexit Argo; non Mareoticæ

Gemmis residentes & ostro;

Non Agamemnoniæ phalanges

Tot clara bello nomina, tot patrum

Censere possint ora perennibus

Expressa ceris, quas sequaces

Circum oleæ, fluitantque lauri.

Et ista Martis præmia pars quota

Dicenda laudum est? Nam neque cædibus,

O sanguis Heroum, nec iras

Vindicibus satiasse dextris

Hæc summa virtus. Quod proprium est decus,

Vos palma nulli flebilis hostium,

Et cædis expertes & iræ,

Regna super populosque vexit.

Utcumque sancti deficiunt genus

Illustre mores, credite Principes,

Parum eminere est. Vos premendo

Nobilitas, grave pondus, urget.

Non si Calænas vincula subligent

Aurata vites, nobilioribus

Livet per autumnos racemis

Cultus ager: nec equus superbo

Instratus ostro certius aureis

Metam quadrigis vitat Olympicam

Victor: nec impexum feroces

Destituunt animi leonem.

Magnum eminere est, cum domus, & genus,

Et quæ nec ipfi fecimus, arduis

Æquantur ausis. Una virtus

Supra apices, titulosque regum est.

LYRICORUM LIB. I. 251
ODE II.

B. FRANCISCUS BORGIA,

*Rerum humanarum despiciētiā humano
fastigio altior.*

A Ut nos volentes fallimur: aut sibi
Habere Divos sidera jussimus,
Nostro beati. Nam quid umbris
Auferimur, tenuēisque voti
Altis superbas porticibus domos,
Et secta tanti marmora ducimus,
Cultūisque, fortunāisque regum
Attonito memoramus ore?
Ad vestra, Divi, tollimur atria,
Formosa stellis atria, Numinis
Regnantis arcēs: huc solutam,
Huc celerem levat aura mentem.
Hinc illa magnum sub pedibus videns
Titana verti, splendida divitum
Ridet pavimenta, & potentū
Quidquid opum sibi finxit usus.
Hinc illa, mundi pars quota sit, vider,
Subjectus orbis, terrigenūm vicem,
Crebrōisque in angusto recursus,
Et steriles miserata curas.
Hac arte nixum Gloria Borgiam
Supra ¹ Quiritūm culmen, & asperos

Gem-

¹ *Callistus III. & Alexander VI. Romani Pontifices*
è gente Borgiā. Iulius III. Romanus Pontifex
primum per se, dein Carolo V. Casare Augusto,
postea etiam Philippo Hispaniarum Principe ad-
vitente, denique Pii duo Pontifices IV. & V. Fran-
ciscum Borgiam Cardinalium Collegio ad scribene
voluerunt.

Gemmis Alexandri tiaras,
 Et Carolos, Aquilásque vexit.
 Non ille avitis Aragonum ² genus
 Proferre fastis. Ipse sibi genus,
 Noménque, dignatus beatis
 Ordinibus, patrióque cælo.
 Hinc Gotthalanum, quod tenuit suo
 Pro rege regnum, tectaque Gandiæ,
 Et cuncta terrarum, pusillo
 Vix apici simulanda, cernens :
 O, inquit, ô quām ridiculos sibi,
 Arctóque clausos limite terminos
 Immensa regnantūm cupido
 Montibus aut pelago diremit !
 Hic Taurus Indos, hic medius liquor
 Secernat Afros : Arsacidis modum
 Imponat Euphrates : Canopo
 Æthiopas dirimant arenæ.
 Et illa quondam maxima gentium
 Regina primūm regnet ad Albulam,
 Cui deinde porrectas utrimque
 Ponat Atlas Tanaísque metas.
 Mundūmque seris altera sæculis
 Exploret Argo, & grande aliquid putet
 Trans æquor ignotósque fluctus
 Orbe alio religasse funem.
 Heu vana rerum ! Quid nisi strenuâ
 Exile punctum dividitur manu,
 Parésque formicis laborem
 Quisque sibi rapiunt inanem ?
 Hic circus, hæc est area gloriæ ?
 Hic bella fervent ? hic dolor, hic metus,
 Hic ira tot gentes avaris

Implicitas

² Natus est Franciscus matre Ioannâ Aragoniâ, Alphonsi filiâ, ejus qui Ferdinandi Regis Catholici filius fuit.

Implicitas studiis fatigant?
 Curisque tantis est pretium lapis
 Aut stipes uno cespite longius
 Defixus agris, aut supellex
 Mundior, aut titulus sepulcri?
 O qui potentem circumagis manum
 Quacumque cursum sol peragit suum,
 Tuoque subjungis, Philippe,
 Oceanum 3 Cybelenque curru:

3 Cybelen à veteribus eamdem cum Terrâ censeri,
 necum est; non itidem hoc erit, deberi à me hu-
 jus locutionis elegantiam Erinnæ poëtria, quam,
 sive una, sive plures hujus nominis fuerint, in
 Heroicis cum Homero, cum Sappho in Lyricis an-
 tiquitas contulit: quamquam Propertiana Cyn-
 thia illi se non veretur anteponere, Carminaque
 Erinnæ non putat aqua suis. Prop. lib. 2. elegiā
 tertiaria, aut, ut Poëtam hunc luxavit miseréque
 distraxit Scaliger, secundaria. qui & hunc locum
 dum emendare voluit, corrupit. Sed ad Erinnam:
 illa in Odâ suâ, quod ejus ingenii inter ceteras
 Lyricorum Poëtarum reliquias exstat monumen-
 tum, sic Romanum alloquitur.

Σὲ δὲ οὐαὶ ζόγλα καρτερῶν λεπάδων
 Στέγαι γαῖας καὶ πολιάς θυλάσσας
 Σφίγγεται.

Quorum vim & proprietatem non expressit satis
 Henricus Stephanus hâc sua interpretatione:

Vinculis ponti sinuosa terga

Atque telluris validis coërces.

Nos hoc modo reddidimus!

Quos agis currus subeunt valente

Ad jugum loro religata Tellus,

Canaque Tethys.

Sed Erinnæ Odam integrum, & selecta quedam
 Græcorum Poëtarum à nobis versa, si Deus dederit,
 daturi alias sumus libello singulari.

254 JACOBI VVALLII
Paullum severas divitis imperi
Omitte curas, & liquidum æthera
Prævectus, immetata regna ,
Regna tuis potiora, toto
Diffusa cælo suspice : finium
Tum te pigebit, quos tibi litora
Terræque describunt ; & orbe ,
Quem regis, imperioque major,
Mortalitatem transilias tuam ,
Cælique plenus, non aliter diem ,
Utcumque venturus, supremum
Excipies, solioque cædes :
Quam si, bilustris quem procùl à domo
Carisque natis detinuit labor ,
Dulces revisurus penates
Deserat hospitium viator.
Huc vota tendant. Interè tibi
Terras regendas, qui dedit Arbiter ,
Legesque sacrorum, meique
Corporis & exuvii dicatas
Commendat aras. Atque adeò tuas
Converte curas, & studia, & manus ,
Fatale quò terris regendis
Nomen, & Austriadum triumphi ,
Et pacis artes, & gemini vocat
Tutela mundi. Se tibi debeat ,
Quam nulla te non poscit ora ,
Tuta mari via, tuta terris.
Sin bella poscunt, regnaque vindicem
Tuenda dextram, non revocabili
Astræa victorem Gradivum
Antebeat, Pietasque gressu.

Hoc

* Sacrum B. Francisci Borgiae corpore, Ducis
de Lerme consanguinei ipsius postulatu, Româ Ma-
dridium translatum est.

Hoc experendum regibus : hoc habent
Commune Divis. Prima potentia,
Prodeſſe, laus eſt. Illa numquam
Conſpicitur meliore cauſa.

ODE III.

D. ALOYSIUS GONZAGA,

*Post arduum cum parente certamen Societa-
tem I e s u ingressus.*

Excessit, & ſe major, & omnium
Conzaga viator. Quâ genitus domo ?
Quot illa Torquatos, quot armis
Scipiadas, patriæque natos
Dedit Camillos, Caſtilionii
Stantes columnas ! Barbaricas opes ,
Curvásque i Tunetûm ſecures ,
Et trabeas, Ducibúsque signa
Detracta teſtor : teſtor ad arduos
Affixa vēctes rostra triremibus
Erepta, captivósque currus ,
Et galeas, clypeósque centum
Perforra telis. Sæpè dolens pater ,
Durámque mentem flectere pertinax ,
Tot ſculpta majorum tropæa ,
Marmaricæ monumenta pugnæ,
Tot magna priſcæ nomina Mantuæ ,
Faſtósque, vultúsque, & ſeriem Ducum
Narratur ostentasse nato.

Sæpè

ⁱ Ferdinandus Gonzaga Aloisiū parens tria peditum
Italorum milia ſub signis ad Tunetanam expedi-
tionem duxit.

Sæpè preces, gemitúsque miscens :
 Per ista, dixit, per generis decus,
 Et spem tuoruin, per lacrymas meas,

Matrísque , per liquid paternum

Grande tibi est, miserere gentis,
 Istámque, quæ te degenerem arguat ,
 Depone mentem. Non aliter tamen

Gonzaga se sensit paternis

Imperiis, precibusque flecti,
 Quàm si protervis obvia fluctibus
 Immota starent Acrocerana.

Ursit per obstantes propinquos
 Pulcrum abitum generofus heres ,

Lætóque vultu limina flentibus
 Obsessa liquit, sic etiam pius ,

Mitísque. Nec segnis tenaces

Rumpere servitii catenas,
 Gemmas, & aurum, splendida vincula
 Exutus ibat, quâ Pietas comes ,

Rectúmque, cognatúsque cæli
 Traxit Amor, meliörque flamma.

Qualis juventâ fervidus igneâ
 Pompeius armis prima crepundia

Mutavit, & pulcro subegit

Pænè puer Numidas triumpho :
 Deliberatâ non aliter fugâ

Domesticarum fertur imaginum

Pertæsus, intentúsque cælo

Diripuisse humeris amictus
 Auro rigentes, paupere lætior

Tegi lacernâ. Vade potens tui

Victor, triumphalique lauro

Adjice, quod Latium, quod orbis ,
 Quod laudet æther. Tu genus evehes

In majis : aras Romulidæ tibi

Ac templa ponent : te vocabit

Carolus 2 indigetem, tuóque

Signabit aurum nomine, se tibi

Suósque credens. Tu nova Mantuæ

Tutela damnabis vocatus

Sapè Ducem populúmque votis.

2 *Carolus I. Dux Mantua pecuniam Aloysii signavit imagine, hac epigraphe : B. ALOYSIUS GONZAGA PROTECTOR MANTUAE , ejusque urbis patrocinium illi publicâ auctoritate detulit.*

O D E . IV.

B. STANISLAUS KOSTKA AMORE DIVINO ÆSTUANS.

Ridente vultu te quoque regiis
Cessisse dicunt, Kostka, penatibus,

Fascésque, & Arctoi perosum

Divitias, strepitúmque regni.

Dilecte terris & Superis puer,

Quæ flamma venis hausta, quis ossibus

Insedit ardor, cùm sonantem

In te Amor expedit pharetram,

Hesitque multo vulnere sauciis

Victor medullis ! Pectus amoribus,

Tegique dedignante flammâ

Virginei caluere vultus.

Urebat alti te domus ætheris,

Purisque cæli purior ignibus

Regina, te præsens amico

Numine, sidereoque prolis

Dignata vultu. Qui nitor aureo

Infantis ori, qui decor est genis !

Ut pectus, & cervix eburnis

Artificum potiora signis !

Ut ille stringi se cupit ! ut tua

Se pronus ultrò curvat ad oscula,
 Parvisque complexum lacertis
 Te tener, & placidos amanti
 Inspirat ignes! Non color est tibi,
 Non vultus unus. Deficis, & pio
 Erepta tormento repente
 Vita fugit, fugiuntque venæ.
 Percussa vernis sic rosa solibus
 Hesterna languet: sic radiis gravem
 Narcissus expertus Leonem
 Floriferis jacet ustus hortis.
 At sœvienti cur puer innocens
 Tabescat igni? ferte citi, precor,
 Lenimen ardori, sodales,
 Et gelidi date fontis undas.

ODE V.

CAROLO VANDEN BOSCH,
 EPISCOPO BRUGENSI,

ET

ANDREÆ CRUESEN,
 EPISCOPO RURÆMUNDENSI.

*Cum Brugis anno M. DC. LI. 10. Kal. Augusti festo
 die S. Apollinaris Episcopi & Martyris, sub cu-
 quis patrocinio Roma olim in Collegio Germanico
 unà per quinquennium vixerant, ambo conse-
 crarentur.*

Huc hospitales, huc adeste Gratiae,
 Violis decenter, & rosis,
 Nodoque flavas aureo vindæ comas,
 Et mutuas nexæ manus;

Nihilque

LYRICORUM LIB. I. 259

Nihilque vestro dissidentes nomini,

Nil dissidentes tempori

Afferte vultus. Ille cui tenerum, Deæ,

Finxistis os, & nectaris

Puro imbuistis rore, quo nil gratius,

Humaniusque nil tulit

Amœna Bruga, vester ille Carolus

Ad sacra vos vocat sua.

Quem gestientis inter urbis gaudia

Deducit in templa hospitem!

Vultuque quo reducit, & mensâ, & lare,

Animoque lætus excipit!

Æqualis hospes hospiti incedit suo:

Uterque sacrorum arbitri,

Uterque sacris infulis cincti caput,

Sacróque donati pedo

Stetere ad aras. Quis tibi fulsit dies

Præsente, Bruga, lætior?

Non ille, quamquam ferverent ludis fora,

Fluerentque vino compita,

Et hic & illic tollerent cælo arduum

Arcus triumphales caput,

Gemmisque, & auro, sumtibusque regiis

Fulgeret interior domus,

Non ille, quo sollemnis Hymenæus, tuis

Spectatus olim civibus,

Pactâ Britannam i Carolo junxit fide,

Totisque prælucens viis

Festâ jugalem dispulit noctem face.

Plus nominis lux hæc tibi,

Famæque plus hæc attulit. Pulcrum diem,

Cressâque signandum notâ

Inscribe fastis Bruga, qui vidit duos

Sacrifisque & aris præfici,

Duos

ⁱ Carolus Burgundio Margaritæ Eboracensem Brugis duxit ingenti nuptiarum apparatu, an. 1468.

Duos honore, & munere, & meritis pares
Paribus coronari infulis.

Inscribe fastis, quidquid ipsa Comitas,
Et Amoris ingenium suo

Dives paratu potuit, hoc visum tibi.

Hoc in suæ spem & patriæ,
Quæ prima dulci fovit exceptum sinu,

Magnumque claris extulit

Belgis alumnū, Carolus sese suo

Debere credit hospiti,

Qui destitutæ, post tot annorum moras,
Et orbitatis tædia,

Mœstas verendâ lacrymas tergit manu,

Et dulce solamen venit.

Crusene salve, Rura quo felix patre,

Quo Bruga felix hospite.

Ut te libens volensque consortem suum

Gaudet videre muneris,

Domoque sociat, dexteramque Carolus

Tibi hospitalem porrigit!

Non hæc amoris signa sunt novi: vetus

Utrique contubernium:

Utrique longi temporis tenax stetit

Causis valentibus fides.

Æterna Roma testis, & Tybris pater,

Qui vos perenni vinculo

Fratrumque junctos more conspexit suas

Errare per ripas simul,

Simul eruditio im pulvere ad famam evchi,

Atque adyta naturæ super

Invadere altâ mente semotum æthera.

Quinquennis hic Olympias

Vos acta vidit infulis pro ludere,

Et apta culti pectoris

Arma

Arma expolire, quæ nigras Erebi domos,

Totamque terrent Styga.

Quæ te voluptas tenuit, ô cœli decus,

Pubisque Germanæ pater,

Apollinaris, tanta cùm juvenum indoles,

Nutrita sub penetralibus

Tuo dicatis nomini, specimen sui

Laudisque venturæ daret!

Jam tum fovebas illa, quæ Brugam efferunt,

Præcepta mente gaudia.

Jam tum futuri conscio ante oculos erat

Sacer tiaras, vertici

Utriusque dandus, & tuo dandus die,

Tuis triumphis nobili.

Sic antè junctos, urbe nunc rursum, & domo,

Et ritibus jungis sacris,

Populis regendis, arduoque culmini,

Onerique, quod subeunt, pares.

O grande par Antistitum, ô lux Belgii,

Quos Cælitum pronis favor,

Sumtæque pariter infulæ, & locus, & dies,

Et ipsa conjungunt sacra,

Floret longum pariter, & vota omnium

Et spes merendo vincite.

Si spreta Virtus vindicem poscit manum,

Si sede pellendus suâ est

Vesanus Error, Noctis infaustum genus,

Nostrique raptor arbitri,

Instate: vobis ore fatidico loqui

Apollinarem credite:

Instage: nil non vester efficiet labor

Ilio laboris auspice.

ODE VI.

CLAUDIO AQUAVIVÆ,
SOCIETATIS JESU
PRÆPOSITO GENERALI:

ET

RUDOLPHO AQUAVIVÆ,
EJUSDEM SOCIETATIS,
IN SALSETIDE PRO FIDE INTEREMPTO.

O Magna frugum, magna virūm parens,
Romana tellus, cui neque media
Silvis odoratisque dives
Arboribus, neque pulcer Indus,
Nec Bactra certent: consiliis potens,
Armisque felix, sive aquilas procul
Inferre viētrices laboras,
Seu populos regis æqua victos.
Non Hippocrene, non Helicon tibi
Umbræque desunt, seu juga Tusculi,
Seu Tibur, umbratique lauro
Albuneæ placuere fontes.
Ut hīc perennes, dum canimus, juvat
Libare rivos! Ut liquido pede
Decurrit, humectatque latè
Romuleos Aqua Viva campos!
Ut illa vitro i purior, algidis
Manat scatebris! ut fluit utilis
Ægris, inexpletam tenacis
Sævitiem medicata morbi!

*i Notatur Claudi candor, & in curandis animi
morbis prudentia.*

Certum

Certum salubres numen habent aquæ,
Mellisque 2 vincunt flumina, Thyadum
Educta thyrso, quæque pingues,

Ut perhibent, secuere campos,
Cùm pulsa nondum cesserat impiis
Astræa terris, & faceret fibi
Ver ipsa tellus, & beatas

Rura darent inarata messes,
Simplèxque passim turba feracibus
Spectaret agris nectaris uberes

Errare rivos, atque truncis

Lapsa cavis trepidare mella.

O fons beatus ! seu rapidus salit,
Feritque venis 3 sidera, seu fluit

Per plana terrarum quietus,

Et placido rigat arva cursu.

Non sævus 4 Auster, non pecus insolens,
Non ramus altâ lapsus ab arbore

Turbare pellucentem ad imum

Usque solum poruere lympham.

Siticulosos hinc q̄oque Maurica

Rigavit agros : has sterilis bibit

Salfetis undas, heu ! Rudolphi

Innocuo tepidas cruce.

Rudolphe, fratrem 5 murice ; te tuo

Rubere dicam sanguine pulcrius.

Non ille fraternum nigrantes

Detulit ad tumulum cupressos.

Palmis

2 Morum suavitas :

3 Familiaritas cum Deo in maximis negotiis :

4 Imperturbatus animus.

5 Rudolphus duorum Cardinalium Iulii & Octavii
frater germanus : quorum hic intellecta Rudol-
phi pro Fide interemti morte, aula sua parietes
non atro, sed purpureo peristromate ornari jussit.

Palmis & ostro, quâ patuit, domum
Ridere jussit. Quando erit, ut sacro
Te ture dignentur Quirites,
Et positis venerentur aris?

ODE VII.

GONZALO SYLVERIÆ
E SOCIETATE JESU,

In Æthiopia pro Fide imperfecto.

VIdere Cafres litora i legibus
Subjecta nostris, signaque Tartaro
Direpta: quis victrice palmâ
Nectere Silveriæ coronas,
Curâtv lauro? Magnum Erebo intulit,
Magnum frementi barbariæ metum
Heroa virtus: vidi illam,
Et pariter trepidavit omni
Ccocytus undâ. Non Agamemnona
Tardo Scamander flumine palluit;
Non Indus æquè, dum minores
Voluit aquas, Macetæque Regis
Talit catenas. Ille Phrygum timor,
Et iste Pori: livida Tanari
Palus, & importuna Ditis
Silveriam timuere monstra.
Heu ægra lætis perfidia! heu nefas
Immane gentis! præcipiti omnia
Traxit ruinâ, cùmque versis
Spes reliquas abolevit aris.

Sic

i Cafres sine legibus vivunt: &, si vocem Cafres
interpreteris, ipsorum linguâ Exleges significat.
Hos Christianis legibus subjicit Silveria.

LYRICORUM LIB. I.

265

Sic messem in herbâ perdit, & arbutis
Vitique gemmas decutit Africus:

Sic sœvit, infestisque velis

Invidet Hippotades secundis.

Vitæ parentem gens fera barbaro
Absumis auso: Tisiphone ad scelus

Præluxit armatæ: jacentis

Guttura corripuit probroso

Elisa nodo. Nec furor h̄ic sterit:

Ripas & amnem crimine polluit:

Fluctuque raptarunt cruenti

Exanimum sine honore corpus.

At subter imo gurgite pectora

Planxere palmis Naïadum chori,

Fletuque sparsit non coacto

Sanguineas crocodilus undas.

Sic ille membris visus inanibus

Referre honorem, sœvitiae immemor,

Nec ausus adnantes iniquo

Exuvias violare morsu.

Narratur illo non timidè, ut prius,

Explesse rivo sicca canis sitim:

Narratur & tutus & viator

Innocuâ jacuisse ripâ.

M

- ² Ex quo Gonzali Silveria corpus in hunc amnem projectum est, crocodili, qui anteā soliti erant homines incaute ad ripam accedentes devorare, nemini postea nocuere, cum id facere non difficile possent. Godignus in ejus Vitâ lib. 2. c. 12. Quem Auctorem propterea hic proferre visum fuit, ut hujus miraculi fides non penes poëtam effet, sed historicum.

ODE VIII.

A D

FLORENTIUM
 DE MONTMORENCY,
 SOCIETATIS JESU
 PER FLANDRO-BELGICAM
 PRÆPOSITUM PROVINCIALEM.

Cum in navi, quā Trajecto Ruramundam vehebatur, à Batavis Mosa insidentibus captus, sua Provincia redderetur.

O Navis, altum cui Mosa turbidus
 Insternit æquor, depositum tibi
 Quām grande committunt secuti
 Sollicitis tua vela votis
 Jesu Sodales! se tibi Pelias
 Non æquet arbor, semideos licet
 Mirante Neptuno per undas
 Vexerit, Argolicosque reges.
 Heroa prono devchis alveo,
 Cui quidquid auri Thessaliæ rates
 Tulere, sordet, præque gazis
 Nuda placet sine dote virtus.
 Cursu peracto tu fueras novis
 Addenda stellis. hoc pretium viæ.
 At ô quid ad ripam dolofis
 Viminibus, calamisque septam

Incauta

Incauta ferris , nec Batavum times

Secura fraudes ! Eripe te fugâ :

Converte remos : flecte vela :

Arma latent : habet hostis amnem,

Eheu ! per auras intonuit fragor :

Pronus magister volvitur in caput ,

Clavoque dejectum cruentus

Amne vorat miserante vortex ,

Hoc , dum rudentes aggere solveres ,

Lupæ cadaver fluctibus innatans ,

Lævumque cornicis ferebat

Ad salices recinentis omen ?

Tu tauriformi debueras , Mosa ,

Timende vultu , cornibus impiam

Terrere prædonum catervam ,

Et tumidâ exspatiatus undâ ,

Ripam hospitalem , marginis immemor ,

Latè evagari , non sine fluctuum

Fragore , figendo tropæo ,

Scuta virum , galeasque volvens .

At vos puellæ dicite Naiades ,

Qui saltus , aut quod vos habuit nemus ,

Quæ stagna , muscosique fontes ,

Dum trepido ratis hæsit amne ?

Quid horruistis , cùm Mosa bellico

Arsit tumultu , cæruleis caput

Efferre regnis , & carinam

Dum licuit , prohibere ripâ ?

Sic illa velis acta fugacibus

Sibi imminentes effugeret manus ,

Pupique , & antennis virentem

Adderet incolumis coronam .

Quò cassa tendunt vota , procacibus

Jactata ventis ? Fluctuat heu vaga ,

Suoque (prô tristem rapinam !)

Deposito natat orba navis .

O navis , atro concita turbine ,
 Formidoloso ludibrium Africo
 Non sola debes ! fluctuabit ,
 Nec levius ferietur undis
 Rectoris exsors altera , aplustribus
 Signata Iesu nomine , terminos
 Emensa terrarum , nec ante
 Christiadum freta versa tonsis .
 Nunc orba casum luget , & horrido
 Suspensa fluctu , frigida remigum
 Tot corda percellit pavore
 Digna ratis meliore cursu .
 Dilecta caelo pectora , remiges ,
 Quorum obsequentes antevolant manus
 Vocem magistri , sic procella
 Excutiat decumana clavum ?
 Macti , sodales . Est Deus , & fides
 Huic nostra cordi . Tristitiam , & metus
 In æquor Arctoum protervis ,
 Fronte hilares , date ferre ventis .
 En , nube pulsâ , vicimus horridum
 Injuriosi turbinis impetum .
 Amica Libertatis ara
 Flore nitens adolescat igni .
 Clavo magister providus assidet :
 Florente clavum cingite laureâ
 Subducta prædonum furori
 Rursus avi volitat secundâ
 Navis per undas : rursus amabili
 Directa dextrâ , tendere carbasa
 Novit secundis , novit atris
 Hæc eadem removere ventis .
 Cursum natantis , seu modò palmulis
 Opus feratur , seu modò linteis ,
 Rectore tanto non præbit
 Velivolo ratis ulla campo .

At nunc recentis conscientia gaudii
 Sonent canoris litora plausibus,
 Et saxa resonant Camœnus
 Pulta meis, iterentque carmen.
 Si puppe fractâ consecrat ad tholos
 Pictam tabellam navita, liberas
 Nos puppe servatâ catenas
 Ad memorem statuimus aram.

ODE IX.

JOANNIS MASCAREGNÆ;

LUSITANI,
 ARCTIS DIENSIS PRÆFECTI,
 BELLICA FORTITUDO.

O Rbem irreptum, & remige non prius
 Pulsata nostro cœrula visere,
 Longeque porrectis ad ortum
 Figere litoribus tropæa
 Hoc Lusitanum est. Hic stetit, hic manu
 Gens illa parvâ viribus & fide
 Majora gescit : vicit armis
 Causa prior, numeroque virtus.
 Quæ Mascaregnis par fuerit chelys?
 Heu clara belli fulmina! quos metus
 Fecere Gangi! quâ superbas
 Cambaïæ Mogorisque vires
 Fregere dextrâ! Quis mihi barbito
 Majore dicat bella Diensibus
 Pugnata sub muris, & unâ
 Fractam Asiam domitamque in arce?
 Quis inde Eoi litora Nerei
 Complevit horror? Terret adhuc Scythes

Fatale nomen : terret ipsos

Mamudii i Sofarisque manes.

I Arcem Diensem ob sedit Mamudius Cambai & Rex Mahometanus , Sofare consiliorum suorum armorumque moderatore ; ob sidionem à 14. Kal. Maij ad 3. Idus Novembris parvâ manu sustinuit Ioannes Mascaregna , & auxiliaribus adjutus copiis solvit.

ODE X.

A D

SIDRONIUM HOSSCHIUM, E SOCIETATE JESU.

Cum ab eo cultissimam accepisset Elegiam.

O Gratos mihi, gratiisque plenos ,
O cultos elegos , & expolitos ,
Quos ad Pegaseæ caput scatebræ
Dictarunt faciles tibi Camœnæ !
Nusquam simplicitas , decensque cultus ,
Et nusquam nitor , eruditioque
Et nusquam veneres , salésque desunt .
O cultos elegos , & expolitos ,
O gratos mihi , gratiisque plenos !
An spectem numeros ? tenentur aures .
An cultum ? capior . modosne ? ducor .
Sensus ? robur habent . tuamne limam ?
Nil exactius est , politiisque .
Artem ? summa latet . measne laudes ?
Hoc tantum (sed amoris ista culpa est ,
Et gratæ venia est parata culpæ)
Peccarunt elegi , tuæque Musæ .

ODE

O D E XI.
 A D L Y R A M
 MATHIÆ CASIMIRI
 SARBIEVII,
 E SOCIETATE JESU,
 EUROPÆOS PRINCIPES
 AD SACRUM BELLUM EXCITANTEM.

QUæ Martiales barbitos incitat
 In arma turmas ? quos strepitus canit,
 Bellique causas ? quas coire
 Principum amicitias , & enses
 Pingues amico sanguine barbara
 In terga verti justius imperat ?
 An rursus Alcæi minaces
 Classica personuere Musæ ?
 Altérque rursus sævit, & impotens
 Lesbon tyrannus servitio premit ?
 Sævumque detrectat superbi
 Ferre jugum Mitylena regni ?
 Lesbous olim fregerit illius
 Vates fuorem : nunc Tanaim lyra ,
 Latéque regnatum tyranno
 Bosporon , Ioniúmque terret.
 Fallóne ? tristi Luna Othomanidum
 Pallescit umbrâ : cornua contrahit ;
 Plenúmque desperavit orbem
 Sarmatico tremefacta cantu.
 Sic noctilucis pallida cornibus

Phœbe laborat, ter magico sacra
Lustrante ritu, ter Cyræum

Canidiâ præeunte carmen.

Natis in usum lœtitiae modis

Has esse quisquam crediderit minas!

Jam sceptra, jam Thracum caducæ
Verticibus trepidant coronæ.

Ite, ite, Reges, quò citharæ potens

Alter Latinæ vos fidicen vocat:

Musam antecedentem securi

Threiciis volitate campis.

Non molle quiddam, non quod Ionicis

Aptum choreis leniter accinit:

Urget per obstantes Gelonos

Ferre pedem benè temperatum.

Ordo, Gradivi robur, aheneas

Firmat catervas. Ite canentibus

Plectris, Quirites: ordinatas

Musa reget numerosa turmas.

Lycurgus olim sic Lacedæmone

Pugnæ imminentis signa dedit lyrâ:

Sic ibat observans modorum,

Ante aciem moritura primam

Spartana pubes, nescia cedere,

Vitisque centum degenerem fugam,

Aut segnis aversura pugnæ

Crimen, & opprobrium catenæ.

Sic ite: belli pulvere sordidis

Mavors coronas destinat aureas.

Nilusque, Jordanesque pridem

Palmiferis viruere ripis;

Veströsque tandem cædua vertices

Palmetæ poscunt. Nec fera prælia,

Bellique, quos suasit labores

Musa premet. Canet illa torvo

Decussa per vos cornua Bosporo,

Gravémque nexit Strymona vinculis :
 Canet, quod Aurora, quod Austri
 Regna legant, roseusque Vesper.
 Accedit omnes Martia buccina
 Cantu : sed, eheu ! non nisi funera,
 Vocésque supremas cadentum
 Docta sono tenuare rauco.
 At illa quæ vos increpuit lyra
 Pugnas cruentas dicer, & obvium
 Pectus sarissis, & decorè
 Vulnus hians, obitásque mortes.
 Quæ quisque gessit, posteritas sciet :
 Quis signa Budæ fixerit arcibus
 Primus : quis Eurotam natatu ;
 Quis pedibus superarit Hæmum.
 Diræa quamquam Musa Deos canit,
 Regésque, per quos impia brachiis
 Fidens juventus, & tremendæ
 Ignea vis cecidit Chimeræ,
 Seséque terris altior arduum
 Plaudente pennâ tollit in æthera :
 Thracas triumphatos Latinis
 Materiem invideat Camœnus.
 O magne Vates, ô Aganippidum
 Mystes sororum, quem Deus incola
 Musæque, securum pericli,
 Pindaricos docuere nifus :
 Quem nunc repressis Vistula fluctibus,
 Olim & canentem corniger audiet
 Sperchius, arrestusque captâ
 Thermodoon, Hypanisque ripâ,
 Intende chordas : Martem Heliconio
 Accende cantu. Quis cuneos furor
 Committer armatos ! quis ardor
 Crescit equis, equitumque signis ?
 Quot inde raso pilea vertici,

274 JACOOBI VVALLII LYRIC. LIB. I.

Cultusque nostris restitues sacris :

Quot victor innectes Latinas
Argolico populo catenas !
Io , ter io ! Siquid Apollinis
Divina laurus fatidicum canit ,
Verosque præfagit triumphos
Vaticinis lyra tacta Musis ,
Dicentur olim Sarmaticæ fides
Vicisse mistas cum lituis tubas :
Dicetur excantata Thracum
Luna tuo trepidasse plectro.



LYRICO

LYRICORUM

LIBER SECUNDUS.

ODE I.

A D

HERMANNUM SPRUYT,
SOCIETATIS JESU,
RECTOREM BRUGENSEM.

Poëtas etiam vita magistros esse.

QUOD me Camœnas inter, & vatum choros,
Laurique odoratum nemus,
Et Thespiorum lene murmur fontium
Amica pascant otia,
Mihine quisquam desides vitæ dies,
Hermanne, labi dixerit?
Hoc si quis ausit, nosque non sanos putet
Curas inutiles sequi,
Illi nec Helicon, nec sacri pateant specus,
Nec unda Permessi fluat;
Qquam ni bibisset, ipsa famæ ac nominis
Jaceret expers Græcia:
Nec sciret ætas sera, quæ vatum pater,
Quæ cecinit Aſcræus senex
Documenta cedro digna, quæ primùm auribus,
Animoque dein blandè incident.
Tu magna nutrix artium, tuo volens
Me, Bruga, secessu excipe.
In hoc labore, méque in hæc sacra abdidi,
Plus uni ut ævo consulam,
Non dumque natis audiar nepotibus,

Fruſtū

Fructuque non vano legar.
 Mihi ipse medeor : ipse Apollineis lego
 Succos & herbas collibus ;
 Quodque usus ipse docuit ægrotō mihi
 Prodeſſe , vates eloquor.
 Audere , moneo , quæ dat & casus rapit,
 Audete , quæ celant dolum ,
 Dissentientes vulgi opinionibus ,
 Cæloque nati ſpernere :
 Bonique ſpecie ſiquid oblatā allicit ,
 Inhibete pavitantes manum.
 Quæ vos putatis dona , fraudes Colchicas ,
 Arteſque Circæas tegunt.
 Sic eſca volucres fallit , & laqueo impedit :
 Sic invenit mortem fera ,
 Calamūmqæ pifcis ſequitur, atque hamum vorat ,
 Avidisque credulitas nocet.
 Quicamque fraudum vivere immunis volet ,
 Dolofa fortunæ bona
 Prudens futuri caveat. Heu ! fruſtrâ miser
 Habere ſeſe aliiquid putat :
 Habetur ipſe , retibūſque clauditur ,
 Aut pendet hamo credulus.
 Quid multa ſequimur ? Corpori exiguum ſat eſt ,
 Animo imperanti ut pareat.
 Famem cibis depellat , & potus ſitim ,
 Frigusque non fordens toga.
 Quid interest , an Appulo fit vellere ,
 Tyriūmqæ ahenum fengerit ?
 Quid interest , ut frigus , & ſparsas nives ,
 Solemque , & imbres arceas ,
 Domūmne cefpes fortuitus exſtruat ,
 An gentis alienæ lapis ?
 Non culmus aliter arcet hibernum Jovem ,
 Aliter lacunar aureum.
 Nec , ſi diurnis fessa curis corpora

Nocturna jam vocet quies,
 Aliter saligno lectus impositus pedi,
 Aut mollis herbarum torus,
 Aliter jacentem sponda mulcet aurea,
 Et tincta cocco stragula.
 Nec structa fago mensa, cui simplex anus
 Testâ imparem fulcit pedem,
 Olisque cœnæ pauperis, curas minùs
 Frontémque sollicitam explicant,
 Quàm citrius orbis dente fultus Indico,
 Et lance cælatâ gravis.
 Sed multa luxus, multa ridendus labor
 Stultos in usus congerit.
 Ad ista vulgus interim arrectum stupet,
 Creditque per fas, & nefas,
 Per & venena, perque fratrum funera,
 Quæri atque servari benè.
 Et illa rerum scena Fabricios propè,
 Curiósque transversos agit.
 Nil præter animum grande: nil mirabile,
 Quàm quidquid hunc cælo invehit.
 Cui magnus ille est, purpuram atque aurum In-
 dicum
 Tractabit, ut cassas nuces.
 Quod si ista mecum, cumque posteris loquor,
 Musâque convicti meâ
 Parvo suoque se beatos autumant,
 Ridentque quidquid ambitus
 Aut incitatus sperat, aut præceps timet,
 Aut anxiâ tenet manu,
 Mihinc quisquam desides vitæ dies,
 Hermanne, labi dixerit?

ODE II.

ANTONIUS CORDUBA
REPUDIATO CARDINALATU
SOCIETATEM JESU SIBI DELIGIT.

Ad S. Ignatium deliberabundus ita scripsit : *In eorum numero, Pater, quos Caesar à Pontifice impetravit, ut faceret Cardinales, me quoque retulit : proximisque Pentecostes sollemnibus, quantum certis comperitur nuntiis, creatio fiet. Ego cum ad certamen id sustinendum omni caream propugnaculo, Societatem Jesu (turris enim fortissima nomen Domini) mihi delegi.* Orland. Hist. Societ. Jesu lib. 12.

Non semper anceps alea militi
 Tentanda : pugnæ se quoque subtrahit
 Experta virtus. Sæpè & hostem
 Fallere pars aliqua est triumphi.
 Latere certus Corduba, nec fugam
 Parans inertem, se popularibus
 Subduxit auris, & verendum
 Purpurei timidus subire
 Culmen senatus : Quæ latebræ meos,
 Dixit, timores munierint satis ?
 O, si quid indulges precanti,
 Abde tuis, profugumque serva,
 Loiola, castris. Assyriis tibi
 Fundata turris tutior arcibus,
 Quam non Typhœus, non tremendo
 Subruat Enceladus tumultu.
 Invicta turris ! nubibus arduis
 Propinqua moles, centum adamantinis
 Obstructa claustris, cui trecentæ

Postibus

LYRICORUM LIB. II.

279

Postibus advigilant phalanges.
 Mille hinc & illinc te clypei regunt,
 Mille & secures, telaque fortium
 Pondus lacertorum : minaces
 Mille vomunt procul æra flammæ.
 Invicta turris ! quod mare, quæ mari
 Abscissa tellus non videt agminum
 Pugnas tuorum ? quæ tropæis,
 Quæve tuis vacat ora signis ?
 Inscripta signis tessera dissipat
 Quidquid timetur : tu quoque, tu meo.
 Murum timori, tu receptum
 Militia dabis una nostræ.

ODE III.

INIGUS GUEVARA,
DUX BOVINI.

*Societatem Iesu ingressurus, insigni pompa rebus
humanis nuntium remittit.*

Quis ille nostras alipedum sonus
 Complevit aures ? quis rutilantium
 Festo quadrigarum tumultu
 Attoitam stupefecit urbem ?
 Spectatis ? an Mars Threïcios agit
 Victor jugales ? an patrium genus
 Alter probaturus feroce
 Iunxit equos, rutilisque Solem
 Refert quadrigis ? Aureus undique
 Collucet axis : flectitur aureo
 Temone currus : fulva pictis
 Signa rotis radiisque fulgent.
 Quacumque velox fertur equus, solo
 Insultat auro, paret & aureis
 Spumans lupatis, & rubentes

Fuscar

Fuscat anhelitibus pyropos.
Scena hæc, Quirites, ultima fabulæ est:
Vos ritè plausum, si placuit, date.

Sic lusit, illusitque luxum,
Roma, tūæ strepitumque pompa
Guevara, rerum fæsus inanum
Servire scenæ: nunc alias aget
Cum laude partes. O Bovini
Magna domus, memoranda fastis,
Fastis Jesu, sed neque barbito
Silenda nostro! Tecum ebur, atque opes,
Plausisque, regalesque ridet
Musa rotas, populumque falsa
Jactare rerum nomina dedocet,
Unique currus destinat aureos,
Æterna quem virtus inertit
Tollit humo, superisque miscet.

ODE IV.

A D

ANTONIUM A BURGUNDIA,
E COMITIBUS DE VVACKEN,
PRIMARIAE ECCLESIAE BRUGENSIS DECANVM.

Cum Emblemata de Lingua in lucem daret, velut
publico epulo totidem è linguis ferula lectori
suo appositurus.

CONVIVATORI EUCHARISTICON.

Dum rectas in Apollinis diætâ
Cœnas instituis, datisque linguis
Luculli quoque vincis apparatus,
Quas vates tibi, quas amicus hospes
Sat dignas poterit referre grates?
Tales nec Phrygius suo eoëmit
Æsopus domino, nec aut Tarentum,

Aut

Aut mollis Sybaris, nec ipsa vidit
 Persis delicias. Poëta linguas
 Hic centum sibi poscat, ora centum,
 Ut tot fercula, tamque delicata
 Extollat totidem canatque linguis.
 Sed quidni liceat Peruviano
 Perjuri licet oris, atque obesæ
 Naris mancipio, malo, & voraci
 Jam nunc credere, & autumare chartis
 Linguas esse suas? Ita est: loquuntur.
 Est chartis sua literisque lingua;
 Et multum ingenii, bonaque mentis,
 Nec nil vocis habent. Ita est: loquuntur,
 Et peccare vetant, reosque damnant,
 Virtutemque docent. Licet, lubetque
 Indo credere, perfidoque Davo.
 Vedit scilicet ille gurges, illa
 Famosissima sicuum vorago,
 Vedit, quod populus, quod omnis ætas
 His mirabitur evenire chartis,
 Doctis, Phœbe! loquentibusque chartis.
 Nec linguâ tibi blandiente verba,
 Aut fumos damus. Odimus dolosas
 Linguæ blanditias: & ipsa nobis
 Dictat simplicitas, amorque veri,
 Quod de te loquimur, tuas secuti,
 Queis linguam regis, instruisque, leges.
 Quin cum lubrica, cum soluta lingua
 Per te docta loqui, tacere docta,
 Leges ipsa sibi, modumque ponet:
 Cum tu materies eris loquendi,
 Legem nulla sibi, modumque ponet.
 Sed, dum spiritus incitare linguas,
 Dum vocem poterunt referre linguæ,
 Te, quanto decet ore, prædicabit
 Omnis lingua tuas locuta linguas.

ODE V.

A D

MAXIMILIANUM
VVARTENBERGICUM,
E SOCIETATE JESU.

Favete Boii. Non mihi perfidis
Extorta dextris sceptræ, nec imperi
Defensa majestas ad Albim
Carmen erit, domitùsque justo
Mœnus triumpho. Nam quid inertibus
Conflata cervis agmina ¹ Boicos
Contra Leones, Austriásque
Contra Aquilas poterant columbae ?
Me, Boia proles, me rapis, & sacro
Te dicar olim carmine ad Isaram
Stellis, & æterno merentem
Concilio inferuisse Divum.
Exempla vitæ non tibi dissitis
Petenda regnis. Tu Superum ² trahis
De stirpe mores : tu beatos
Indigetum cineres avorum,
Et ossa tractas. Quaque oculos jacis,
Boiae recurrent munera dexteræ,
Et ista ³ Guillelmus nepoti
Tecta suo posuisse gaudet.

¹ Habet Bavaria in insignibus Leones.² Sanctos Bavaria Duces multos vide apud Radernum in Bavariâ sanctâ.³ Serenissimus Dux Guillelmus Collegii Monachensis fundator.

ODE

ODE VI.

A D

JOANNEM BAPTISTAM
UVVENUM,
E SOCIETATE JESU.*Cum suos in Iouam Commentarios edere differret.*

Quid clausum pluteo premis, novoque
Rursum carcere detines Iōnam?
An pœnam semel, exigente cælo,
Persoluisse, parum est? parūmne, culpam
Conjurantibus expiassē nautis,
Cūm præceps datus, obrutusque ponto
Tres soles olidâ sepultus alvo
Pistricis jacuit? Quid, ô, quid ultrâ
Inclusum pluteo premis, novoque
Rursum carcere detines Iōnam?

Quas tum naufragus edidit querelas,
Et supra tumidos iere fluctus,
Et supra volucres iere nubes,
Et flexere Deum: Ninique fatum
Quæ vexit pelago vagata pistrix,
Magno protinus obsecuta vati,
Legit litora, reddiditque terris
Ingens depositum. Suâque nondum
Te flectit prece, publicâque lucem
Exorare tuus potest Iōnas?

Dum cæcâ jacuit miser cavernâ,
Ipsæ, si qua meis fides Camœnis,
Desertæ halcyones, vagique mergi
Plangorem trepidis dedere pennis,
Et quid nescio præter aut amores,

Aut

Aut luctus veteres & h̄ic , & illic
 Auditi querulo referre cantu ,
 Quo Ceyx velit , Æscusque fleri.
 Neptunus pater , ut liquente regno
 Erexit caput , hospitemque vidit ,
 Captivo gemitum dedit , suōque
 Fluctus imperio premens & Euros ,
 Ad monstri latus abditique vatis
 Fractas molliūs ire jussit undas.
 At ne belua ludibunda cæco
 Hæreret scopulo , sonante conchâ
 Triton anteit , brevēisque primus
 Prætentavit aquas , iterque rexit.
 Ut demum superos diemque vidit ,
 Formosa Ægiale repente vatem
 Excepit gremio. Adfuere Nymphæ ,
 Crenéque , atque Hyale , putrēmque limum
 Detersere manu , capitque , & omne
 Tabescens sale perluere corpus.
Ah ! ne te volucres , suōque Triton ,
 Neptunūsque pater , marisque Nymphæ
 Vincant obsequio. Quid , ô , quid ultrà
 Inclusum pluteo premis , novōque
 Rursum carcere detines Ionam ?
 Ohe , jam satis est , ohe , morarum.
 Jam vates iterūm sibi superstes ,
 Et stridentibus erutus procellis ,
 Et nigrantibus erutus latebris
 Per te prodeat , hauriatque lucem.
 Non rursum Cilicas propinqua Tauro
 Invadet freta , deviūsque Tarson
 Injussam repetet. Fugæ prioris
 Vatem pœnitet. Ardet , ardet ire ,
 Ut quæ fulmina , flebilēsque casus
 Rursum prospicit imminere terris ,
 Rursum nuntiet , arceatque terris.

Nec

Nec jam una est Ninive nocens , nec uni
 Incumbunt populo Tonantis iræ.
 Qua sol cumque aperit , diemque condit,
 Regnant crimina , criminumque pœnas
 Ruptis nubibus , igneisque nimbis
 Depositum Superi. Quid, ó, quid ultrà
 Invitum premis ? Ardet , ardet ire,
 Ut quæ fulmina , flebilèisque casus
 Rursum prospicit imminere terris,
 Rursum nuntiet , arceatque terris.

Eheu ! quis gemitus , quis ille flentis
 Confusus populi sonus repente
 Arrestas mihi verberavit aures ?
 Nil fletur solitis modis. Nec ora
 Questu sufficiunt , manusque planctu.
 Heu ! heu ! quò gemitus, dolorque vergit ?
 Postratum gelido pavore regem
 Hirsuto video rigere texto.
 Non aurata premit corona frontem :
 Squaler cæsaries , caputque sparsi
 Deturpant cineres , & ora fletus.
 Non auro bibitur : Falerna nemo ,
 Nemo tempora floribus coronat.
 Pallent ora fame : sitis perustis
 Ardet visceribus : nec ullus usquam
 Fit tectis strepitus , nisi ejulantis
 Quem suspiria reddidere turbæ.
 Heu ! heu ! quò gemitus, dolorque vergit ?
 Nec Regem modo , supplicemque luctus
 Exercet populum. Greges & ipsi
 In partem veniunt : nec ulla gramen
 Attingit quadrupes , nec ulla fontem.
 Impastæ stabulis gemunt capellæ :
 Impastæ stabulis gemunt & agnæ.
 Arent ubera ; nec suas, ut ante,
 Ad mulctram Pholoë vocat juvencas.

Muta est fistula, nec suos, ut antè,
 Aut Daphnis canit, aut Alexis ignes.
 Heu! heu! quò gemitus, dolórque vergit?
 An reges iterūm, simul severis
 Aures impulerit minis Ionas,
 Descendent folio? hispidisque cingent
 Setis corpora? lividumque pectus
 Et palmis ferient, & astra votis?
 An mōrens populus, cibique, & undæ
 Expers, flebiliter Deum per aras
 Exposceret veniam, precesque nostras
 Et nostros aliquid valere fletus
 Placari facilis probabit æther?
 Quid, cùm pœnituit, piæ reorum
 Non possunt lacrymæ? Rubentis æthræ
 Sistunt fulmina. Sæpè destinato
 Urbes perdere jam parabat iætu,
 Cùm luctus subito pavórque flentem
 Incessit populum, simûlque noxæ
 Terras pœnituit, Deumque pœnæ.
 Hoc si salva Ninos, tuûsque vates
 Nos sperare jubent, per hunc, & omnes
 Te testor Superos, per astra justis
 Pridem feta minis, metûsque nostros,
 Per suspiria, flebilisque planetus,
 Quos antiqua Ninos dedit, dabítque
 Jam nunc altera, ne morare vatem,
 Utquæ fulmina flebilisque casus
 Rursum prospicit imminere terris,
 Rursum nuntiet arcâtque terris.

ODE VII.

AD PARENTES.

*Vita exempla ad rectam educationem momentum
adferre maximum.*

Frustrà juventam fingimus ; & bonas
Laundamus artes , si neque debitiss
Præimus exemplis sequacem ,
Nec dociles reveremur annos .
Damnosa patrem si juvat alea ,
Sperare de se nil melius jubet
Futurus heres , ad fritillum
Nunc loculis , positâque tandem
Iturus arcâ. Nec patrimonia
Matura virgo non etiam geret
Dimissa collo , nec fluentem
Non & Achæmeniâ perunget
Nardo capillum , si genitrix pares
Induta census ambulet , & comas
Gemmâque nodatas & auro
Vibret acu , balanóque tingat .
Sic est : paternis cerea moribus
Assuescit ætas : hac sequitur viâ ,
Sive antecedentes Cethegos ,
Seu Curios videt , aut Catones .
Obscena vultur diripit ilia ,
Dispersa campis : at neque mitiùs
Exercet unguis in cadaver
Æmula progenies parenti .
Prolésque Nisi non aliam rapit
Adulta prædam , quam rapuit pater :
Ignésque Phœbeos in ipso
Ferre aquilæ didicere nido .

ODE

ODE VIII.

A D

ALOYSIUM LAVENBACH,
E SOCIETATE JESU.

Cum à gravi morbo nondum confirmatus ad se literas dedisset.

Agnovi calami notas labantis,
 Agnovi veteris notas amoris,
 Quæ post longa tui pericla morbi
 Salvum te referunt, mihique mittunt,
 Quâ, qui mittit, adhuc eger, salutem.
 Ut vidi, exsilii, premensque blando
 Chartam suaviolo : Mcúsne, dixi,
 Lavenbachius, ille nuper, ille
 Conclamatus, anhelituque crebro
 Singultantem animam trahens, ab ipso
 Leti vestibulo pedem reduxit?
 Atque illas potuit tremente dextrâ,
 Quas læti legimus, notare chartas?
 Atque illis benè me valere jussit,
 Qui nondum bené se valere sensit?
 O dulces calami notas labantis?
 O dulces veteris notas amoris!
 At tu (namque sedens in ore pallor,
 Et vultus macies adhuc timoris.
 Non una est mihi causa) dic, amabo,
 Dic, pars magna mei, satísne certò
 Evâsti incolumis? novísque Parcæ
 Ducent stamina restituta fusis?
 Ite hinc solliciti procul timores:
 Ite, & Carpathias Atlanticásve
 Vos ater rapiat Notus per undas.

Dica

LYRICORUM LIB. II.

289

Dicamus bona verba , digna læto
Natalique die. Jubente Divâ
Rursus nasceris , aspicisque lucem.
Hoc Sidronius , hoc tuus Becanus,
Supplex , Virginicas jacens ad aras
Votis crediderim suis , suisque
Evicere elegis. Fuit Fremautî
Prima hæc cura tui , tuique Fisi.
Illi Virgineum movere pectus ,
Illi præcipites tenere fusos ,
Illi ferrea mitigare jura ,
Et fatalia protogare pensa ,
Et plena iterum valent precando
Instaurare colos. Quid ô moramur.
Dum nil supplicibus negavit æther ,
Centum millia gratulationum
Læto protinus expedire versu ?
Dicamus bona verba : quid silemus ?
Qui te námque dies valere vidit ,
Natalis tuus est , tuosque nobis
Hinc subducere jam licebit annos.
Dumque illum colimus , tuus fac adit
Visurus Genius suos honores ;
Formosus Genius , tuâque dignus
Ornari citharâ , tuâque lauro.
Illi cæsaries , & ora nardo
Distillent Syrio , rosâque vernent.
Illi cymbia lactis , atque mellis ,
Et natalitium dicare libum ,
Et natalitium dicare carmen ,
Et natalitios decet trientes ,
Et natalitias decet coronas.
Qui te námque dies valere vidit ,
Natalis tuus est , tuosque nobis
Hinc subducere jam licebit annos.
Sic penso tibi longiore ductos ,

N

Sic & stamine firmiore textos
 Virgo carminibus vocata nostris
 (Nostris dicere si tamen Camœnis
 Fas sit Numina posse magna flecti)
 Addat , quos reliquos vovemus , annos.

ODE IX.

A D

C A R O L U M
 A LOTHARINGIA,
 EPISCOPUM VIRDUNENSEM,

Cum depositis infulis Societatem Iesu ingredetur.

Quis ille , Divi ! quis Viroduniis
 Avulsus aris grandem animum novis
 Accingit ausis ? quo citatus
 Numine , quo rapitur calore ?
Jamque & sacrati verricis infulas
 Remittit ultrò : non lituo manus
 Gemmāque fulget : jam reposti
 Carbasei , Tyriique cultus.
Prō quantus ori depositā quoque
 Decor tiarā ! quantum animos rapit
 Privata jam virtus ! ut intus
 Ipse sibi sine teste plaudit ,
 Quis regna & urbes misceat , unicè
 Securus ! O lux , ô Lotharingicæ
 Sidus coronæ , Godefridi
 Progenies generosa salve.
 Ne limen , hospes , despice , quod tibi
 Loiola pandit. Scilicet illius
 Sinu reclinatus beatos

Epa

E pateris Superiorum & auro
 Libabis haustus. Inde ubi Mutii,
 Dulcique Romæ principis urbium
 Divulsus amplexu, Padumque,
 Et gelidas superaris Alpes,
 Regnata Magno Gallia Carolo
 Tibi, relictis excita sedibus,
 Occurret: occurrent & amnes
 Indigenæ, viridésque Nymphæ.
 Tibi hospitales obvius offeret
 Garumna i¹ ripas: quas ubi presseris,
 Securus innitetur urnæ,
 Et placido fluet unda lapsu.
 At te nec Afros vellera murices
 Incocta prodent: nec volitantium
 Inter quadrigarum tumultus
 Per medias rapieris urbes.
 Arrecta stabit Gallia, pauperem
 Mirata cultum, & conscia sanguinis,
 Nil ipsa te magnis minorem
 Duceret avis, minimamque laudum
 Partem tuarum credet ab ultimis
 Traxisse avitum Cæsaribus genus.
 Non sceptra, regalésque cultus,
 Non domitis data jura terris
 Heroas æquè regibus inferunt,
 Ut clara virtus. Hæc satis est sibi:
 Nec facta, nec quidquid suorum est,
 Laude suâ meritisque miscet.

ⁱ Burdigala Domui Professa præfuit.

ODE X.

AD

BELGAS SODALES,
GENERE CLAROS.

*Frustrà illos velle pro suâ modestiâ tacitos
pratermitti.*

A Terna , Belgæ , nomina patriis
 Laudata fastis , cur subiit genas
 Pudor , verecundique nostram
 Barbiton erubere vultus ?
 An & severâ surripitis manu
 Plectrum canenti ? Mittite , mittite
 Musæ laborantis , Sodales ,
 (Quamquam humiles terit illa nervos)
 Tardare cantum. Scilicet ardua
 Quæ vos Olympo gloria sustulit ,
 Vulgata non est , & canentis
 Poscit opem citharâmq[ue] vatis.
 Si nocte purâ Lucifer aureos
 Occultat ignes , se tacitis quoque
 Celabit umbris , quæ , videri
 Dum metuit , meliore prodit
 Se luce virtus. Scimus , ut inclytas
 Ceras , & ingens à proavis genus
 Divinus & sæcli labantis
 Moribus ac vitiis iniquus
 Despexit ardor. Splendida vidimus
 Anciliorum , & cassidum , & ensium
 Cælam'na : auratas avorum
 Effigies , titulôsque circum ,
 Circum coronas , & lituos Ducum
 Fulgere longo vidimus ordine.
 Elucet , & virtus in ipsis

Spira

Spirat adhuc animosa signis.

At non aviti gloria sanguinis

Claræque splendor vos tenuit domus

Fulgore perstrictos inani.

Plus species habet ipsa vero.

Sic clara fulvo piæta sinus croco

Illudit Iris, dum pluviam gravis

Phœbo sub adverso colores

Mille trahit, radiisque fulget.

Hæc illa magnis cognita vatibus,

Regumque castris: nunc residem movere

In arma Turnum: nunc remissum

Suscitat Æacidæ furorem.

At illa nusquam est: scilicet aureus

Incauta fallit lumina Cynthius,

Lucis repercußæ nitorem

Imbriferâ variante nube.

O D E X I.

A D

B E L G A S S O D A L E S P O E T A S.

Belgium etiam Musarum sedem esse.

Quis fata versæ tristia Græciæ,

Pulsasque Musas, templaque Phocidos

Disjecta, & infandum, Sodales,

Excidium memorare dignis

Speret querelis? O Heliconidum

Antiqua sedes, ô nemora, ô sacræ

Laurus, Medusæique fontes,

Ingeniis celebrata Tempe,

Fortuna quæ vos illacrymabili

Mersit ruinâ! Quid nisi nomina

Nunc nuda, desertæque cautes

Pieriis catulos ferarum
 Celatis antris? Heu miseris vices,
 Casusque flendos! Omnia Thracius
 Haber tyrannus, nec fugatis
 Barbarus hospitium Camœnis
 Ullum reliquit. Tantum Aquilonibus,
 Sævisque rauci turbinibus Noti
 Parnassus impulsus remugit,
 Et madidis quatit Auster alis
 Impunè lucos, quos Aganippides,
 Et ipse quondam verticis arbiter
 Nunc voce mulcebant acutâ,
 Nunc fidibus, citharæque cantu.
 At non Dearum Mars quoque barbarus
 Subvertit artes. Qualibet exules
 In parte terrarum residant,
 Inveniunt Helicona Divæ.
 Sunt, Atticarum quos amor artium,
 Dulcésque cantus, & citharæ juvant,
 Quos docta secernit profano
 Frons ederis redimita vulgo.
 Et Liza Musas, & pater amnium
 Scaldis virenti margine devias
 Excepit, & festas dicavit
 Carminibus, choreisque ripas.
 Florete ripæ, Pieridum domus,
 Sacréque colles, antráque Cynthio
 Dilecta, quantum non Cithæron,
 Non viridi nemorosa lauro
 Secreta Pindi. Vos mihi Thespio
 Ripas sonantes carmine, vos specus,
 Umbrásque Cirrhæ, vos amœnos
 Castaliæ simulatis amnes.
 Hic Tollenari Musa potens lyra,
 Rerumque prudens, se homines supra
 Curásque mortales incerti

JOANNES
TOLLE-
MARIUS

Tollit humo , populūmque vanis
 Regesque falli nominibus veta t.
 Consulta magnæ quid sapientiæ
 Moramur evicti ? quid umbras

Persequimur , tenuesque tantum
 Captamus auras , ut canis irritos
 Spartana morsus in vacuo aëre

Exercet , elapsamque prædam

Non tenet assimilis tenenti ?

Hic te magistro sparsit Amor suas, HERMAN-
 Hermanne, rædas: hic gemitus dedit, nus Hugo.

Cæloque transmisit querelas,

Quas Libanus , Solymæque valles,
 Et parva Bethle retrulit aureo
 Percussa plectro , seu quibus exulem
 Solara quondam Musa regem

Hermonias pepulit cupressos.

Non sola nuper Musa tuis, Hesi,

GUILIELMUS
HESIUS.

Vocata votis ; ipsa eiam Fides
 Immota veri , dum canebas ,
 Adfuit , ingeniisque lætos
 Afflavit ignes. Hæc fidibus dedit
 Aptare nostris , quæ Superum Pater
 Celavit æternis minores

Consiliis , voluitque credi.

Te vate non me cassa fugacibus
 Spes fallat umbris. Tu vacuum jubes ,

Rerumque contemtu beatum ,
 Astra super rapidosque mundi
 Fulgentis orbes , primâ in origine
 Hærcere pulcri. Tum nebulis procûl
 Et luce digressum malignâ ,
 Principium juvat usque & usque
 Finemque rerum , quantum acies finit ,
 Spectare tecum. Non mihi tunc nitor
 Illudat auri , non voluptas

Attalico speciosa cultu.

Non, non amoris tunc ego sim potens
Evolvere æstus. Ah! penitus mihi

Puris inardescunt medullæ

Ignibus, absiliuntque flammæ.

Nec pulsæ non est ardua vatibus JACOBUS
Orchestra nostris. Tu quoque grandium LIBENUS
Fies tragœdorum, Libene:

Tu nova Cecropio theatra
Tundis cothurno. Non tibi flebilis
Orbùsque Theseus reliquias legit

Et ossa nati: non feroceſ

Œdipodionio furore

Ad arma fratres, & solium vocas,
Thebásque terres. Vidi ego fabulis
Majora fictis, cùm parenti

Creditus ingluviem ferarum
Explesse natus pulpita miscuit
Turbata luctu. Scena stetit nefas

Mirata, fraternæque tantum

Invidiæ licuisse flevit.

Non hujus est vis dicere pectoris;
Tui, Libene, est, quid patrius dolor,
Amórque, mentitæque mortis
Indicium potuere vestes.

Tui, Libene, est dicere pectoris,
Quo clausa motu fabula: quo minas

Vultu remisit, quæ rependit

Oscula, quos odiis amores

Ille, ille quondam venditus, & suis
Togâ invidendus, Niliaco puer

Regi secundus, cui salutem

Debuit & Cererem Canopus;

Cui Luna, cui Sol præscius imperi
Augur futuri subdiderant jubar,

Vixque per noctem serenas

Pleiades,

- Pleiades , Hyadésque flamas.
 At vos meorum prima sodalium
 Pars , flósque vatum , cum quibus Aonas
 Errare per lucos, diémque
 Sæpè mihi licuit morantem
 Explere cantu , dicite, quo pede
 Collem subistis : dicite, quâ sicut
 Levastis undâ , quo scatebræ
 Lene caput reperistis antro.
 Vos verba puris æmula fontibus ,
 Cultúsque simplex munditiis , capit
 Qualésve Apelleis decebant
 In tabulis venerem colores.
 Assurgit omnis Sidronio chorus ,
 Volensque laurū fertaque porrigit SIDRONIUS
 Seu plectra sumsit, sive totum HOSSCHIUS.
 Ipse aliis Helicona pandit.
 Et te per illos hoc duce vidimus ALOYSIUS
 Colles vagantem, qui modò cælites LAVENBA-
 Inter Poëtas , Aloysi , chius.
 Elysia spatiaris umbrâ.
 Becane , dulces te gremio Dexæ GUILIELMUS
 Fovere vatem : te puerum sacrâ BECANUS.
 Texere lauro , mox daturæ
 Promeritam capiti coronam.
 Tibi ora Pitho finxit , & aurea
 Liquente succo nectaris imbuit.
 Narratur & cunis in ipsis
 Te Pietas præiisse cantu.
 Rerūmque inanes Simplicitas tibi
 Odisse fucos & strepitus dedit,
 Illimis, & nusquam fragosus
 Ut Superūm caneres amores.
 Errantem & illo vertice Cleinium FRANCISCUS
 Per omne duxit Calliope nemus: CLEINIUS.
 Totâque Goivardi receptus IGNATIUS.

Mente Deus rapuit calentem GOTYARDUS.
 In antra vatet, Loiolidas ubi,
 Et arma gentis, factaque fortia,
 Ævoque venturo legendos
 Fatidicus cecinit triumphos.
 Et te, Caloni, sapè agitat Deus, JACOBUS
 Divisque miscet. Nec Friesius sonat CALONIUS.
 Mortale quidquam, dum faventem JUSTUS
 Sollicitat, patiturque Phœbum. FRIESIUS.
 His, ô Camœnæ, vatibus, & mihi
 Virente lauro, si mereor, caput
 Velate. Sic vobis ademtum
 Restituant Helicona Belgæ.

ODE XII.

A D

PETRUM CLASENIUM
 IN ACADEMIA LOVANIENSI
 JURIS UTRIUSQUE DOCTOREM.

Cum ad L. Vinum, &c. de rebus creditis, lu-
 cubratiunculam suam evulgaret.

Ex vetere fori consuetudine Oratores causas
 facturi assignatum sibi tempus aquâ metieban-
 tur ad clepsydram. Spectavit huc Ciceronis jocus
 in dicaces nescio quos & voluptarios ganeones, cum
 & ipse ad aquam pro M. Calio peroraret. In lustris
 quippe & conviviis, facundos inter immanesque
 calices, cum garrire semper, numquam tacere
 consueissent, atque è popinis postea in lucem foren-
 sem extracti causarum magnitudini imparem elo-
 quentiam adferrent, eos festivè dixit ad vinum
 disertos,

disertos. Nimirum ut ipse loquitur, alia fori vis est, alia triclinii: alia subselliorum ratio, alia lectorum: non idem judicum, comessatorumque conspectus: lux denique longè alia est solis, & lychnorum. Atque adeò fit plerūmque, ut ad vitum diserti, ad aquam infantes frigentésque titubent, ac sinistris auspiciis causas suas clientésque destituant. Sed mittamus Romani Oratoris jocum.

Claseni, Themidos togate Mystra,
Næ tu, dum faciles paras libellos,
Qui lites dirimunt, supérque vino
Partes conciliant, supérque vino
Legum discutiunt, secántque nodos,
Ad vinum meritò disertus audis.
Attentas alias fatiget aures,
Et causas ubi fessus ad statutam
Exsudavit aquam, tulitque palmam,
Monstretur digito, audiātque passim,
Hic est, quem colit, ille, quem clientūm
Stipat turba frequens; hic acer ille,
Et subtilis, & ad brevem disertus
Declamator aquam, forique princeps:
Hæc laudum quota pars erit tuarum,
Claseni, Themidos togate Mystra?
Patroni tibi námque, quotquot isdem
Hærent in tabulis, superque vino
Partes conciliant, superque vino
Legum discutiunt, secántque nodos,
Tantūm cedere se fatentur omnes,
Quantūm frigida cedit ipsa vino.
At non te faciunt in his disertum
Facundi calices. Olet lucernas
Hoc quodcumque tui ferunt libelli,
Præclari, faciles, boni libelli.

Qui pro pignore creditisque rebus
Vocem sollicito locat clienti,
Quandocumque tuos leget libellos,
Præclaros, faciles, bonos libellos
Dicet lampada, non olere vinum.
At, si laus tamen est locisque vero,
Ad vinum meritò disertus audis,
Claseni, Themidos togate Mysta.



LYRICORUM

LIBER TERTIUS.

O D E I.

A D

B E A T A M V I R G I N E M,

Quæ non procùl à Bruxellâ colitur in celeberrimo monte, qui ab absinthio nomen ducit, Belgis Alsembergh dictus.

Cum Leopoldus Guilielmus, Archidux Austriae, Belgii Gubernator, templum illius subiisset.

S T R O P H E C O N T R A A B S I N T H I U M.

E colle dulcissima Virgini dicato absinthium ex-stirpandum esse.

QUæ te beato colle consevit manus,
Saporis austeri frutex?
Te flore pallidâque liventem comâ,
Et tristibus succis gravem
Horrent propinquis excitæ silvis feræ,
Horrent capellæ tangere.
Non terra, non hoc convenit cælum tibi.
Te Pontus Arctoâ rigens
Alat pruinâ : te Tomitanus Geta,
Te Tauricus messor legat,
Inmitis, asper, stirpis ingenio tuæ,

Suóque

Suóque non dispar solo.
Hic Diva sedem fixit, h̄ic implet suo
 Benigna collem numine.
Hic mella fundit, ipsa melle dulcior.
 Nullique non mitis faver.
Tu me colonum, Diva, tu me frondibus
 Vestire te dignis sine
Tibi dicatum verticem. Mitis tibi
 Nostrisque lenimen malis
Assurget olea, balsamumque cortice
 Sudans odorato fluet.
Nihil h̄ic Idumæ palma decedet, nihil
 H̄ic uva decedet Cypro.
Sionis alto pulcra cyparissus jugo
 Libanóque certabit cedrus.
Non h̄ic Sabæa virga, non Arabum crocus
 Eoa tantum sidera
Primóque tactos sole montes expetet,
 Quantum illa quæ colis juga,
Illumque solem, luce qui tepens tuâ
 Clementius terram fovet.
Quodcumque demum noster h̄ic seret labor,
 Tibi crescat, atque aliquid tui
Stirps quæque referet: nulla non dulcem exprimet
 Promtámque misereri indolem.
Fons purus, intactusque, nec frustrâ advenis
 Habere numen creditus
Opima leni culta percurret pede,
 Seriemque dispositam arborum
Humore dulci nutrit. Quin & cavâ
 Subinde libatus manu
Maculosa morbis corpora & pestem eluet,
 Salubrium undarum pater,
Hic, sive magnæ Virginis gremio tuas,
 Leopolde, lauros inferes,
 Sive in propinquò nemore frendentes apros

Cervosque lassus figere
 Captabis umbras, collis intonsi jugum
 Te Martis & rerum procul
 Strepitu remotum, teque redditum tibi
 Umbrâ hospitali proteget.
 Nunc alta cedrus, nunc triumphalis tibi
 Placebit arbor, seu magis
 Amica pacis olea. Te capiet, scio,
 Augusta majestas loci,
 Locique præses Diva, Diva balsamo,
 Et flore pubentis croci,
 Palmæque baccis, & Sabæis frugibus,
 Dulcique olivâ dulcior.

A N T I S T R O P H E P R O A B S I N T H I O.

*Absinthium, malorum hic depulorum indicium,
 retinendum esse.*

A Mara messis, non ego, quamquam tibi
 Flos livet, & pallet coma,
 Graviterque spirat, non ego, non te velim
 Cui nomen imponis jugo
 Ferro recisam eruere. Quo crescis solo
 Secura perge crescere.
 Sacrûmque latè verticem & collem tene,
 Futura tot discriminum,
 Totiesque pulsæ testis ægrimoniarum
 Quoties laborantum annuit
 Votis clientum Diva, nutu pellere
 Amara morborum efficax.
 Non occupabis, perge, perge crescere,
 Inutilis solùm frutex.
 Benè ominatum stabis hoc signum jugo,
Quos

Quos Diva, quotquer juverit.
 Sic & leænæ pellis, aut acris lupi,
 Aut dentibus minax caput
 Quondam coloni vota, & infirmum pecus,
 Et obvium incursu nemus
 Sternentis apri, splendidis potentium
 Affixa pendent postibus,
 Revocantque causas gaudii spectantibus
 Monumenta sublati mali.
O blanda Mater, Attico nomen favo
 Uvâque Cypri dulcius,
 Quis has ad aras tura, quis preces tulit,
 Tristisque, nec voti potens
 Abscessit aris? Tu jubes mollescere
 Soluta ferri vincula:
 Tu carcerum refringis æratas fores:
 Tu sæpè defletis diem
Vocata reddis. Sæpè & informis lues,
 Et lenta morborum cohors,
 Comesque lentis additus morbis dolor,
 Maciesque vix ægrum trahens
 Defecta gressum, nomen ad tuum fugit.
 Te dirus umbrarum arbiter
Impunè regna sæpè populantem sua
 Horreficit, atque imis pavens
 Se condit antris. Auguror, veniet dies,
 Brevique veniet, quâ tuo
Leopoldus arma victor affigens tholo
 Extrema belli deleaf.
 At tu beato qui facis nomen jugo,
 Saporis austeri frutex,
 Stabis reductâ pace felix tristium
 Index malorum, quæ trahit
 Bellona secum, quæque Leopoldi prece
 Evicta Mater Thracios
 Ad usque fines egerit. Non hostibus

Erepta signa, non locis
 Perfossa centum scuta, & exuviae ducum,
 Nec æde pendentes sacrâ
 Solùm tabellæ, donaque aris addita
 Opem loquentur Virginis.
 Docebis & tu, liber armorum metu
 Quid Belga Divæ debeat.
 Non occupabis, perge, perge crescere,
 Inutilis solum frutex.

ODE II.

A D

FREDERICUM
 DE MARSELAER,
 EQUITEM,
 TOPARCHAM DE PARCK, &c.
 LEGATO A SE SCRIPTO CLARUM.

*Ignatium Mendozam, Marchionis Mondexar Ducis
 Infantado fratrem, Philippi II. & III. Hispania
 Regum ad Venetos Legatum celebrat, qui peractâ
 legatione hoc à Rege pro munere petiit, ut bona
 ejus veniâ sibi liceret Societatem Iesu ingredi.*

Nullusne tandem, quem sibi tristibus
 Eversa bellis sæcula postulant,
 Qualémve describunt, tuæque
 Instituunt, Frederice, curæ,
 Nullusne tandem consilio & prece
 Irata Regum pectora molliat
 Legatus, & latum celebret

Paci

Pacifico redditum triumpho?
 An, quod fateri sit pudor, æmula,
 Semperque, dum se latius efferat,
 Infesta bellantum cupido,
 Quæ rapuit, vetat arma condi?
 O si inquietis consilium modò
 Mendoza regnis & daret, & dato
 Pareret orbis! jam coïrent
 Fœdera, jam litui filerent.
 Dum certa nuper mens geminis fuit
 Et vox Philippis, ac medio Patrum
 Sedit Senatu, nil Atridæ,
 Nil Itacho, Cyneæque cessit.
 Sive arma paci, seu magis otia
 Præferret armis, audiit Adria
 Excitus orantem, & sonoras
 Mulsit aquas, celeresque ventos.
 Sed re peractâ maluit abditus
 Latere castâ Loiolidûm domo,
 Egenus, ignotus, reique
 Splendidior dominus relictæ.
 Atqui sciebat, quid sibi regius
 Favor pararet: quidquid erat tamen,
 Quietè, nec quidquam petenti
 Pauperie minus esse duxit.
 Quis sit tot inter, quorum humeris salus
 Innixa Regum est, certior arbiter
 Rerum gerendarum? Patrono
 Sæpè malo bona causa nutat.
 Hic consulendus Regibus: hic docet,
 Quæ prima belli semina, quæ viæ,
 Quæ pacis artes, ipse pacis,
 Ipse sui sibi causa regni.
 Audite Reges: ipse sibi dedit
 Mendoza regnum, dum nihil aut timet,
 Aut sperat, & rerum quod usquam

Cernitur, attonitosque fallit
Prævectus, infra se videt omnia,
Uno beatus, quo fruitur, bono.

Audite Legati : quod unum

Tot studiis opibusque regna
Utrumque poscunt, quod nimium diu
Pacis ministri gentibus invident,

Tantisque nequidquam Gradivus

Nititur excidiis pacisci,
Mendoza secum sanciit, & sibi
Janum ipse clausit, ferrea saecula,

Belliique dementes ruinas,

Et viduas miseratus urbes.

Ah ! finiendis luctibus utiles
Nescitis artes. Magna tenentibus

Maiora desunt, & quid absit

Respicitur, petitürque ferro.

Quò bella, quò vos deferet impotens
Tandem cupidus ? Sistite barbaras

Cædes, fatigatumque Martem

Immodicis prohibete votis.

Quæcumque diri meta cupidinis,
Hæc ipsa belli est. Ille odiis faces

Ministrat : ille iras & enses

Exacuit : scelus omne in illo est.



ODE III.

GARCIÆ PIMENTELLI
LAUDATA MORS
A D
FRANCISCUM ET PETRUM
PIMENTEL,
E SOCIETATE JESU,
EJUSDEM GARCIÆ FRATRES.

In Belgio militans occubuit Vir Illustrissimus aspero accinctus cilicio, cum in obsidione Bergarum ad Zomam, dissidente hostili cuniculo, castrensi cruce in eum impactâ oppressus esset.

Non bellicam solum Fortitudinem, sed etiam Christianam Pœnitentiam, qua pugnanti ferebat audaciam, ad ejus tumulum sedere.

Quae Musa, Patres, quem modò plangimus,
Heroa dignè scribat, & illius
Æternet extentas in ævum
Carminibus citharáque laudes?
Dum bella nuper Belgica fortibus
Urgebat armis, & Pavor, & Fuga,
Pallórque, qua se cumque campo
Arduus intulerat, præibant:
Nunc terra cæsum dum gremio tegit,
Non sola vultum pulvere Martio
Confersa Virtus, & leonum

Exuvias,

Exuvias , variasque lyncum
 Incincta pelles ad tumulum sedet,
 Manesque servat. Servat & hispidis
 Velata setis , sparsa crines,
 Uda oculos Metanea manes ;
 Testata , cuius militiae insuper
 Ferret laborem : quos premeret jugo
 Victor : quod ambiret ferendo
 Imperium : quibus & triumphos
 Deberet armis. Acrior , acrior ,
 Quam qui videtur , remque gerit manu ,
 Nos poscit hostis : nec pericla
 Non etiam graviora terrent.
 Inclusa pestis visceribus latet ?
 Et magna virtus saepè suis perit
 Confecta telis : corpus ipsum
 Nequitiae sua præbet arma.
 Nunc felle pectus , nunc Paphio jecur
 Torretur igni : lingua nocens suo
 Dentésque livescunt veneno :
 Sunt oculis sua tela flammæ.
 Et saepè discors in varias abit
 Mens scissa partes : utque parum potens
 Auriga per præceps equorum
 Arbitrio rapitur suorum ;
 Sic , quam refringat lege cupidines ,
 Nescit ; nec illis , si sciatur , imperet.
 Has inter ipsas fervet anceps
 Consiliis odiisque pugna.
 Non sic coorto plebs sibi dissidet
 Amens tumultu , cum medias ruit
 Pugnax per urbes , & cruenta
 Cuique suum dedit ira telum.
 Ut illa victor bella retunderet ,
 Thoraca Diri non penetrabilem
 Indutus ibat , quo subactos

Suppicio tenuaret artus.
Quem tatus illo pectora tegmine
 Paveret hostem? Justa moventibus
 Dat causa vires, & quod obstat
 Dedidicit bona mens timere.
 At quos libido per vetitum rapit,
Ad signa pallent, & genibus tremunt,
 Ceduntque, ut imbelles ferocem
 Dum fugiunt capreæ leonem.
 Nec causa, cùm res & litui vocant,
 Palloris una est: congerminat metum,
 Quod quisque fecit: quemque fraudis
 Umbra suæ manifesta terret.
 Sic antè manes mens patitur suos
Impura manes: impatiens sui
 Sibi est Erinnys: quæ recursat,
 Pro facibus colubrisque noxa est.
 Non ille castos exanimat pavor.
 Primi lacesunt prælia, provocant
 Pericla primi, sequi vitâ,
 Quam clypeo melius tuentur,
 Sit ille triplex, sit Chalybum manu
 Incinctus igni. Ferrea mugiat
 Procella telorum, & cadentum
 Hæreat ante oculos imago,
Dum stare fas sit, stant, ope Numinis
Causaque nixi. Talis erat manu,
 Quem nostra nunc mœstis admittum
 Prosequitur lacrymis Thalia.
Milésne credet? Pectora vidimus
 Devota morti, vidimus aspero
 Horrere texto, cùm Gradius
 Sulphureum jaculatus imâ
 Tellure fulmen, ruperat horrido
 Vallum tumultu, qua patuit via,
 Cælumque fumantesque nubes

Increpitans. Dedit ille castris
 Muróque labem, Zomáque turbidas
 Concussit undas, & simul igneo
 Stantem Pimentellum fragosa
 Turbine corripuit procella.
 At non eodem, qui miserabiles
 Affixit artus, concidit impetu
 Sublata virtus : ipsa cælo
 Extulit impavidam ruina.

ODE IV.

IN FUNERE
 MAXIMILIANI
 GANDAVILLANI
 TORNACENSIO EPISCOPI LXXXV.

*Ex persona Petri le Loup Prætoris Isegemienſis,
 qui ejusdem decimas exigebat.*

Exstinctum misero dolore Thyrſin
 Deslebat Lycus, aviūſque silvis,
 Solaménque suo negans amori,
 Solaménque suo negans dolori,
 Fata, heu ! ferrea, nesciamque flecti
 Testatus Lachefin, diu vocatum
 Poscebat prece, lacrymísque Thyrſin.
 Sed nec ferrea reddidere fata,
 Nec Thyrſin Lachefis : Lycumque fruſtrà
 Vedit Lucifer, Hesperisque flentem.
 Vos ô Helcini referte colles,
 Vos ô Helciniæ referte valles,
 Quæ ſuſpiria ruperint querelas.
 Námque è collibus illa, vallibúsque

Mœſto

Mœsto cum gemitu remisit Echo.
 Et Scaldis pater audiit querentem,
 Et flevit pariter, suisque ab antris
 Excitæ gemitum dedere Nymphæ.
His Nymphas præxit Lycus querelis,
 Dum per devia, per fragosa solæ,
 Herbarum immemores, vagantur agnæ.

Hos, ô, qui gemitus tuas ad aures
 Ventus, Thyrſi, ferat ! Lyci dolorem
 Absens nosce tui, beate Thyrſi.
 Nec te non memorem mei recepit
 Felix Elysium, nec illa sic te
 Delectant loca, quin subinde colles
 Respectes patrios, Mœſque, dicas,
Hi servant cineres, Lycumque servant.
Hos, ô qui gemitus tuas ad aures
 Ventus, Thyrſi, ferat ! Lyci dolorem
 Absens nosce tui, beate Thyrſi.

Thyrſin delicias meas, mœſque,
 Postquam funere raptus est, dolores
 Et mecum Dryades amare discent,
 Et mecum Dryades dolere discent ;
 Et quodcumque canam, canent & illæ,
 Et quodcumque gemam, gement & illæ ;
Conjungentque suos meis amores,
 Conjungentque suos meis dolores.
 Si desit Dryadum chorus querenti,
 Dicam collibus, aviisque dicam
 Questus arboribus, priusque cedent
 Pisces fluminibus, feræque silvis,
 Quam nostris amor, & dolor medullis.
Hos, ô qui gemitus tuas ad aures
 Ventus, Thyrſi, ferat ! Lyci dolorem
 Absens nosce tui, beate Thyrſi.

Hæc nuper volucres tegebat umbra,
 Argutas volucres : & illa nostra,

Dum

LYRICORUM LIB. III.

313

Dum Thysin canit, Æpolumque vicis
 Cantando, meruit cicuta caprum.
 At nunc omnis ager silet, silentque
 Argutæ volucres, & illa nostra,
 Quæ nuper meruit cicuta caprum,
 Pendens funereâ silet cupresso :
 Et, si quid mediter levare luctum,
 Nil præter miseras strepit querelas.
 Tecum scilicet, ô beate Thysi,
 Agris gratia cessit, & voluptas.

Dum præsens aderas, agros benigni
 Mulcebant Zephyri : nemusque frondes,
 Et campi frutices, & astra rorem,
 Et rores apibus dedere mella.
 Nunc dum raptus abes, simul benigni
 Cesserunt Zephyri, comæque silvis,
 Et campus frutices : nec astra rorem,
 Nec rores apibus dedere mella.
 Tecum scilicet, ô beate Thysi,
 Agris gratia cessit, & voluptas.

Dum præsens aderas, tibi coloni
 Sudabat labor, & Ceres vidente
 Turgebat stipula : tibi quotannis
 Non ingratus ager dabat maniplos,
 Nostrâ depositos manu maniplos,
 Plenos frugibus optimis maniplos,
 Quales nec Libye metit, nec uenum
 Centeno domitum ligone Tibur.
 At nunc cui gravidos ego maniplos
 Secernam domino ? Probare nostrum
 Non ultrâ potero tibi laborem,
 Laudatamque fidem. Tamen supremum
 Dixisti moriens : Probabis illi
 Qui post me veniet, pedumque sumet.
 Non illud queat impedire livor,
 Non mens improba, juriūmque Codri.

O

Hæc tu deficiens , levique flexu
 Fractos in me oculos , & ora vertens ,
 Dicebas , nemini ; meāmque flentis
 Sensi pænè animam migrasse tecum .
 At nunc , dum mihi , Thyrſi , te carendum est ,
 Dum te , Thyrſi , lapis regit , nec usquam
 Terrarum mihi Thyrſis est , & umbra
 Frustratur miseris amata ſomnos ,
 Nec poſſunt ſine te placere colles ,
 Nec poſſunt ſine te placere valles .
 Tecum ſcilicet , ô beate Thyrſi ,
 Agris gratia cefſit , & voluptas .

Vos ô Helcinii valete colles ,
 Vos ô Helciniae valete valles ,
 Arx antiqua vale , ſimūlque , Thyrſi ,
 Extremum vale . Ipſe te quotannis
 Largis fletibus , humidisque ſertis ,
 Quando nunc aliud nihil relictum eſt ,
 Mœrens profequar , annuūmque carmen ,
 Si vox , & gemitus finant , rependam .

Hæc , & talia dum calente luctu
 Cantabat Lycus , Hesperus gementem
 Deprendit miserans : ſuūmque Thyrſin ,
 Thyrſia per juga , per vireta Thyrſin
 Ne quidquam ingeminans , reduxit agnas .



ODE V.

NICOLAUS ALMAZAN
DE LA CERDA,
SOCIETATIS IESU ASSISTENS,

*Le^cto plerumque non usus, & cilicio semper
indutus.*

Cerdam quis hostis falleret? impiger,
Rerumque prudens excubitor stetit,
Durâ fatigatum reclinans
Corpus humo. Vigil ille Martem,
Martem silenti nocte sub igneis
Spirabat astris. Nexa trilicibus
Lorica nodis, non sagittis,
Non Scythico violanda ferro,
Armabat ingens pectus, & hostium
Frangebat iras. Salve Erebi potens
Tuique viator. Non ahenum
Æolio tibi cudit antro
Thoraca Lemnos: non Telamonius
Te texit umbo. Jam senio gravis
Setas, & hirsutos amictus
Indueris, Cilicûmque texta.
Ævo trementes lugubre si laguna
Attrivit artus: at Stygii nihil
In te furores, nil acerbis
Actæ odiis potuere pestes.
At jam resinxit Gloria lividos
Victoris artus: at laterum exuit
Tormentum, & injecit merentis
Purpureos humeris amictus.

ODE VI.

A D

LUDOVICUM DE VELASCO,
E SOCIE TATE JESU.*Illum sui victoriâ bellicas suorum laudes excedere.*

IBera proles , non ego barbaro
Injecta per vos vincula Nero ,
 Non Marte debellata dicam
 Amherces Asiaque regna.
Sunt hæc avorum , sunt , fateor , tuæ
 Tropæa gentis. Vos ego regios
 Mirabor (hic vestri triumphus
 Martis erat) posuisse cultus.
 Tuæ , Velasco , quis titulos domus
 Fastosque nescit , sive equitum ciet
 In arma turmas , sive claro
 Æthiopas subigit triumpho :
 Sive & Philippo præsidium & suos
 Præbente Divos sceptræ tenet manu ,
 Nostrumque trans orbem repostos
 Imperio moderatur Indos .
 Vos sæpè Mauro sanguine decolor
 Mirata Calpe est : vos Nasamonii
 Sensere reges : vos subactæ
 Marmaridum tremuere terræ.
 Quid arma tantum , regnaque persequor
 Collisa bello ? Quid nisi mœnia ,
 Turrésque , præruptasque moles ,
 Imperii ruitura claustra ,
 Et nata leto corpora Martiæ
 Stravere vires ? Huc ades , ô novâ

Donan

Donande Ludovice lauro,
 Bella novis meditatus armis.
 Non, more patrum, fulmineo quatris
 Hastam lacerto : non aciem regis :
 Non Terror & Cædes eunt
 Antevolant, lituisque circum
 Horrescit æther. Nil tuus alteri
 Mars debet : unus castra tibi facis.
 Tu duxtor, & miles moveri
 Signa jubes, sequerisque, tēque
 Laces sis idem, nil animo sinens
 Licere casto. Tristitiam, & Metus,
 Et Spes, & imperissa mentis
 Gaudia, corporeaque Pestes
 Vincis premendo. Sic tibi Pax venit,
 Sertoque velat Palladio caput,
 Afflārque somnos, quos nec arma,
 Nec litui, strepitūisque rumpant.
 Bellator, io ! quis patrios tuis
 Æquet triumphis ? Non tibi sanguine
 Mercede pacto, sed labore
 Palma tuo meritisque constat.

O D E VII.

A D

CAROLUM ET ALBERTUM
A M A L A S P I N A,

B E L G A S,

E S O C I E T A T E J E S U .

P Ar dulce fratrum, quorum atavis dedit
 Mars grande nomen, sive Athesis pater
 Cruentus iret, seu flagraret
 Parthenope generosa bello,

Fortuna quæ vos tam bona Belgicis
 Donavit oris, ut thalami fide
 Cum gente se nostrâ jugaret
 Magnum Italis Malaspina nomen?
 Non ut Falernus palmes in exteris
 Translatus oras dissimilis sui est,
 Succosque non servans priores
 Degenerat peregrina pomus:
 Sic vera virtus. Patria vitibus
 Sua est alendis: pampinus Africos
 Imbrésque culpat: nec sub Arcto,
 Quas tepidis metit Indus arvis,
 Fert terra messes. At patriam sibi
 Metitur alti finibus ætheris
 Virtus, nec ap solis propinqui
 Sub face, Parthasiœ sudet
 Sub axe, curat. Stet glacialibus
 Concreta nimbis, pulchior evenit:
 Nec servat, aut perdit vigorem
 Arbitrio variantis auræ.
 Testes mearum Belgica vos habet
 Sententiarum. Sidere sub suo
 Vos illa fert, quales paterna
 Vedit avos atavosque Parma.

ODE VIII.

ARNOLDO DE REYNEGOM

*In ordine S. Augustini vota sollemnibus
 verbis nuncupanti.*

Dialogus Guilielmi & Arnoldi fratrum.
 Guil. **D**Onec nos amor, & fides
 Conjunctos patriâ detinuit domo,
 Quod fratri fuerat suo
 Alter Tyndarides, hoc fueras mihi.

Arn,

- Arn.* Postquam me pietas domo
 Abduxit patriâ, quod fueras mihi,
 Quod fratres Helenæ sibi,
 Hoc præstat melior turba sodalium.
- Guil.* At nunc abriperiſ meæ
 Pars vitæ potior: nunc mea gaudia,
 Nunc & delicias tuæ
 Solaménque domus tecum abiens rapis.
- Arn.* At, qui me stimulat, Deus
 Nostri dimidio plus sibi vindicat.
 Vires, atque animum, atque opes,
 Et quodcumque meum est, ille habeat sibi.
- Guil.* Ergo transfuga, pauperum
 Nudus castra petes? nec tibi fenora
 Aut feti parient greges,
 Aut dives gravidis area messibus?
- Arn.* Virtus nullius indiga
 Fenus grande sibi est. Divitis Indiæ
 Thesauris opulentior
 Parcâ suppeditat, quod satis est, manu.
- Guil.* Non pectus Scythico tibi
 Excisum est scopulo. Quid licitas faces,
 Quid dulcem tibi Liberum,
 Quid molles epulas durior invides?
- Arn.* Versos in pecudum genus
 Circæo perhibent carmine remiges.
 Me præter vada fervida,
 Pellacésque dolos aura ferens vehat.
- Guil.* An te servitii jugum
 Voto ferre juvat non revocabili?
 Atqui non bene quolibet
 Libertas pretio venditur aurea.
- Arn.* O quisquis volet asperum
 Excusisse jugum, sancta jubentibus
 Ultrò gaudeat obsequi,
 Haud umquam dominus liberior sui.

Guil. Quæ, frater, tibi par chelys,
 Illum quando animum non domus, & genus,
 Non natura potentibus
 Armata illecebris eripiat tibi?
Arn. Non, non hoc opis est meæ:
 At cæli auspiciis ibimus, ibimus,
 Quò jurata Deo fides,
 Humanoque vocat spiritus altior.

ODE IX.

*Florentissimam variorum regnum inventum
 Societati Iesu sese adjungentem celebrat.*

Quis me per Euri, per Boreæ domos,
 Austrique tractus Pegasus arduo
 Ferat volatu? Me Garumnae,
 Me Rhodani, Tamesisque potor,
 Me Rhenus ingens, me sibi Vistula,
 Istérque poscunt. Convoluta undique
 Invicta pubes: ardet omni
 Pugna loco, triplicemque supplex
 Virtute murum vividus inclytæ
 Ardor juventæ. Quo sibi robore
 Ad signa Loiolæ negatum
 Rumpit iter, cuneosque densat.
 Frustrè invidendis explicat atris
 Longam suorum progeniem patet.
Hæc prima laus est, ampla torvo
 Atria præterisse vultu.
 Abscissa crines, & viduos parens
 Amplexa postes diripuit sinus,
 Cælumque complevit querelis,
 Nec tenuit moritura natum.
 Vis major ursit. Non si iterum graves
 Crateras auro, & plaustra Corinthiis

Onusta

Onusita signis , & quod usquam
 Terrifico malè blandus hosti
 Objecit hostis , fraus mala sparserit,
 Objecta quemquam præda morabitur.
 Si totus oblugetur orbis ,
 Vincet amor studiūmque recti.
 Qualis recluso libera carcere
 Ruptis que vinculis emicat alitum
 Regina , & immensam per æthram
 Tendit iter fugiente pennâ :
 Dat illa cælo plausum Hyperionis
 Obversa flammis , & vaga fulmina
 Diémque portantes quadrigas
 Luminibus videt irretortis :
 Talis juventus , jam sua , jam novis
 Addicta signis , quo Deus impulit
 Et causa victrix , ad beatas
 Ipsa viam sibi fecit arcēs.
 O feta magno pectora Numine ,
 Exemta terris , quæ neque purpuræ
 Fulgentis usus , nec dolosis
 Molliit illecebris voluptas !
 Non ordo patrum splendidus aspici ,
 Non quæ superbis porticibus stetit
 Frequens salutantum caterva ,
 Vota animi generosa flexit.
 Dum Roma terras imperio reget ,
 Novasque Romæ subdere strenuus
 Loiola florentes ad Eurum
 Expediet Zephyrūmque turmas ,
 Vos promta virtus , & niveus pudor ,
 Et munda castæ pauperies domus
 Ævumque fortunāmque supra
 Tollet humo , Superisque junget.
 Quò vos avorum gloria Martiis
 Spectata rebus proverbat altius ?

Aut quid tot heroum nepotes
 Suspiciant simile aut secundum?
 Quidquid repugnat summa potentibus,
 Hoc Marte frangunt: & generosius
 Perire dum querunt, eodem
 Fama jacet cinerisque busto.

ODE X.

A D

AUGUSTINUM VRANCX,
E SOCIETATE JESU.

*Cum Olivam Pacis, hortatu P. Antonii Kintsi,
 suis versibus celebrasset, & in hanc rem de
 Amphione & Orpheo quadam accommodasset.*

O He quò raperis, canore vates?
 Fugit te tua mens; siisque plenum,
 Et quid nescio turbidum canentem
 Versat non solito Deus furore.
 Auritos lapides, siisque cautes
 Avulsas scopulis ego ut coire
 In turres jubeam, novásque Thebas?
 Imbelles Elegi, levésque Musæ
 Aeratis foribus revulsa claustra
 Centum postibus additisque centum
 Firment roboribus? siisque cantu
 Fundari jubeant domos & arces,
 Quas nunc & cineres tegunt & herbæ?
 Ohe quò raperis, canore vates?
 Non hoc carminis est mei, nec artis.
 Cessa non solito furore cessa
 Tantum lusibus arrogare nostris.
 Hoc Orpheus cithara sciens lyræque,

Hoc

Hoc blandâ prece barbitóque fretus
 Amphion potuit, sed huic, & illi
 Vocem cum citharâ dedere Divi,
 Illi Mercurius parens, & illi
 Mater Calliope. Quid huc Camænæ
 Aspирent tenues? sequentur illas
 Quercus scilicet, arduæque cautes.
 Vos bellæ juga, consitique colles,
 Vos hospes potius sequor: sequenti
 Secessum mihi consciösque vatum
 Saltus pandite, deviásque valles.
 O Phœbi domus, ô amæna Bella,
 Belgæ deliciæ, beata tempe,
 Vos dum me trahitis, nec expedito
 Confestim sinor advolare cursu,
 Iuro (Calliopeia pejeranti
 Nec carmen mihi, nec ministret undas)
 Per lauros, Aganippidósque fontes.
 Per Pindi sacra, Phocidósque templæ,
 Id per vim fieri, morásque necti
 (Heu lentas nimium moras!) amori.
 Nam cur Pieridas morer vocantes,
 Cùm sint & faciles mihi vocanti?
 Hic me Kintsius ipse, Vrancxiúsque
 Defessum accipient, mihiique totis
 Juncti pectoribus, petent dabuntque
 Amplexus mihi mille, mutuísque
 Nexi hærebimus arctiùs lacertis,
 Quàm molles ederæ, vel ulmus hæret,
 Ille vel falici, vel illa viti.
 Nec tantum patriis amata Nymphis
 Me tempe capient, & ipsa Bella;
 Quamvis & patriis amata Nymphis
 Me tempe capient, & ipsa Bella:
 Quantum Kintsius ipse, Vrancxiúsque.
 Hic densum arboribus nemus canentes

Secernet populo, canentib[us]que
 Lactis flumina nectarisque fontes
 Grato mollitet obstrepent susurro.
 Hic è cespite, sub virente lauro,
 Paci gramineam struemus aram.
 Dicemus pariter: Revisa nostrum,
 Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
 Te frugum Dea, te Pales abactos
 Lugens cum gregibus gregum magistros
 Absentem nimium diu requirunt.
 En ut sarcula, rusticásque falces,
 Queis herbas melius, gravésque messor
 Tonderet segetes, in arna passim,
 Non hos agricolis datas in usus,
 Diffigit furor! En ut ipsa belli
 Feralis species ubique mœstos
 Exterret populos! Cruore nostro
 Quis non decolor intepescit annis,
 Quis non squalet ager? Revisa nostrum,
 Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
 Te Fas, te Pietas, Amorque recti,
 Te Candor sequitur: redditque tecum
 Regnorum vigor, aureumque sæclum,
 Fraterno madidas cruore tecum
 Terras Erigone perosa liquit;
 Pacatas repetet coletque tecum.
At Vis, & Rabies, Metúsque, & Iræ,
 Et cæcus Furor, impiaque Fraudes
 Cocytum repetent. Revisa nostrum,
 Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
 Te Ver flore novo, Ceresque spicis
 Cinget flava suis: tibi Lyæus
 Fundet vina pater: chorisque nostris
 Permitæ Charites tibi virarentem
 Innectent Oleam. Revisa nostrum,
 Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.

Hæc

Hæc ad pacificas canemus aras
 Concordes animis lyrisque gates.
 Hic noster labor: hinc paranda nobis
 Surget laurea. Sic Oliva Pacis
 Lauris addita gratiūs virebit.

ODE XI.

AD

CAROLUM LAURIN,
PISCIMUM FASTIDIO LABORANTEM.

Ex persona avunculi Georgii Vvvens, in Supremo Brabantia Senatu Consiliarii.
*Fastidii causam horoscopo ejus assignat: eumque
 jejunii verni tempore ad pisces invitat, eorum
 fastidium carmine discussurus.*

QUod sidus tibi, Carole,
 Nascenti placidis fulserit ignibus,
 Nec fas scire, nec abditam
 Fati dicere vim, carminis est mei.
 At, quantum æthereas mihi
 Perlustrare domos Uranie dedit,
 Pisces, ultima sidera,
 Subsedisse reor Tethyos in sinu,
 Aut magni imperio Jovis
 Euphrataea iterum trans vada naufragum
 Subvexisse Cupidinem,
 Cum primùm tepidis humida fletibus
 Vitæ limina tangeres.
 Nam cur hæc adeò stella tibi est gravis?
 Aut cur sic stomachum mover
 Fastidita tibi copia piscium?
 Cur illos quasi Thessalo

Sparsos Canidiæ gramine despuis?
Musæ siqua fides meæ,

Cùm te tergeminæ, Carole, Gratiæ
Nascentem exciperent sinu,

Felicésque faces Hesperus undique
Pleno cogeret agmine,

Ut cunas radijs spargeret aureis,
Pisces illo aberant choro:

Et mersi pelago nec rutilum jubar,
Nec desiderium sui

Infudere animo. Nausea piscium
Illâ fluxit origine.

Ergo perpetuum, quæ salis æquora,
Et dulces pariunt lacus,

Sint intacta tibi? Non Syrus, & Pharos,
Non & Panthoides senex,

Rupto si tumulo prodeat, hoc velit.
Hic mollem, pueri, scarum,

Hic trutam, teneros hic mihi lucios,
Laudatûmque acipenserem,

Mullûmque, & soleas ponite, & ostrea
Dulcis cum paterâ meri.

Mecum, Pieris non sine cantibus,
Convivabere, Carole.

Nil adversa time sidera: siderum
Fatales stomacho minas

Dulci Pierides carmine lenient.

ODE XII.

A D

ALOYSIUM LAVENBACH,
E SOCIETATE IESU,

*Cum sub aspernum gelu nescio quid rerum
suarum à se describi postulasset.*

Quis te, quis rapuit calor, quis æstus?
 Dum vinctas glacie coercet undas
 Durus Iupiter algidusque Caurus,
 Cui non & d'giti rigent & artus?
 Et duri Iovis immemorque Cauri
 Tu me scribere, tu movere mandas
 Arctoo d'gitos gelu rigentes?
 Quis te, quis rapuit calor, quis æstus?
 Si præcordia sanguinemque nostrum,
 Quæ Scaldim modò Diliämque vinxit,
 Vinciret glacies, ad hos calores
 Ardorésque tuos repente nostris
 Cessisset glacies soluta venis.
 Plus illi tepido valent sereno,
 Plus molli Zephyro, novoque vere.
 Quid Cauros igitur, gelique tardos
 Excusem digitos, nec expeditas
 Curem protinus expedire chartas,
 Quamvis illepidas, & eruditos
 Indignas oculos subire chartas?
 Vos ite intereà, brevemque saltem
 Exorate moram mei Phaleuci.
 Si vos dicat, ut estis, obsoletos
 Seu fuligine, seu nigrante fumo,
 Queso, dicite (nec diem locumque
 Natalem fuerit pudor fateri)
 Quod me frigora compulere furyum
 Vos exudere proximè caminum.

ODE XIII.

A D
LEONEM BELGICUM
DOMI MILITIAEQUE
VULNERIBUS ET MORBIS AFFECTUM.

*Cum Petrus Braye, cui Leo gentilitia erat tessera,
 sollemni Medici titulo in Academiâ Lovaniensi
 ornaretur, & subinde rei bellicâ benè gerenda
 præclara negligerentur opportunitates.*

Quid lenta pendet, nec rutilam, ut prius,
 Torosa cervix excutiens jubam
 Incubit armo? quid remissos
 Præda fugit, quibus hæsit, ungues?
Affurge, & iras concipe Belgicâ
 Virtute dignas, quâque tuis patet
 Arena bellis, i, negatas
 Quære vias, aditusque rumpe.
 Si concitatum spina tibi pedem
 Impacta cæco vulnere fauiciet,
Est qui cruentatam revellat,
 Et medicâ levet arte vulnus.
 Si te morentur quæ mediis vides
 Stipata campis agmina, si cruar
 Per ora sudantesque villos
 Multus eat, pretioque palma
 Emenda tanto est, est ab hiantibus
 Qui fixa costis spicula detrahat,
 Tabùmque sudorémque tergat,
 Et laceros medicetur artus.
At non acerbo sola viam facit
 Bellona leto. Parte alia nocet,
 Ævi que labentis vigorem

Præcipitat, volucrisque fati
 Impellit alas quidquid ab infero
 Emergit Orci gurgite, pyxidem
 Pandora dum clausam relevit
 Ingenio malè curioso.
 Hinc annus orbi letifer incubat,
 Austrisque cælum corporibus graves
 Aspirat. Interdum venenis,
 Quas trahimus, vitiantur auræ.
 Funesta nusquam non domus est: carent
 Illota justis funera honoribus:
 Nec terra projectis nec arbor
 Sufficit in tumulos & urnas.
 At ire contrâ nil metuet potens
 Mystes Hygieæ, cui penetralia
 Reclusit, herbarumque tutas
 Nosse dedit Medicina vires.
 Novit quid ægris utile, quid nocens:
 Vis unde morbi: vena quid indicet:
 Quæ culpa ferro, quæ sit igni,
 Quæ medicis abolenda succis.
 Hac arte fatis injiciet moram,
 Magnisque pestes exiget urbibus,
 Crebrisque subducet frementi
 Exuvias animisque Morti.
 Sic, Petre, sic te Diva superstitem
 Hygia servet: sic medicâ valens
 Manu laborantem Leonem,
 Et patrias tuearis urbes,
 Sic fas sit olim dicere, postera
 Quod laudet ætas, te quoque Belgici
 Vixisse tutorem i Leonis,
 Belgicus ut Leo te tuerit.

JACO

¹ Respeximus ad id quod Androdo leonem per urbem deducenti acclamatum fuit: Hic est leo hospes hominis, Hic est homo medicus leonis.

JACOBUS VVALLIUS
 PETRO JACOBO VVALLIO
 FRATRIS SUI FILIOLO.

Misi, Petre Iacobe, Arnoldo
 fratri tuo carmen, cùm lo-
 qui nondum posset: tibi, ne
 à me præteritus fuisse vi-
 dearis, epistolam mitto cum libelli
 mei, qui nunc prodit, exemplo. Non
 ut illius te lectione magnoperè deti-
 neas, qui literas nondum attigisti; sed
 ut ea quæ nondum capis, admirari jam
 nunc assuescas. Fit enim nescio quo
 modo, ut eorum etiam studiorum, quæ
 nondum per atatem attigimus, cupidi-
 tate incendamur, si animum præoc-
 cupet eorum dignitas & existimatio.
 Itaque tempestivus ad te hortator ac-
 cedo, ut, cùm Latini sermonis à te pa-
 randæ fuerint opes, id eā facias con-
 tentione animi, quæ sperare me jubeat,
 cùm in Musarum adyta penetraveris,
 earum

earum te consuetudine atque usu cap-
tum iri. Nimirum ex absolutissimâ
oportet literarum cognitione efflores-
cat ac redundet poësis : adeoque nisi
divitiae illæ & ornamenta ingenii at-
que linguae, quæ hanc artem ceteris
extollunt altius, ubertim affluant,
nihil poëta, in quo magnus esse pos-
sit, relinquitur. Sive enim fingendi
amplificandique licentiam, quæ hic
una dominatur, sequi velit, sive at-
tis cuiusque mores effingere, sive aliud-
quidpiam perpolire, quanam ad id
præstandum illi esse potest hisce præ-
sidiis destituto facultas aut copia ? Ac
propterea cogitanti mihi quid sit, cur
poëtas multi docti homines, non qui-
dem rectè, sed tamen multi, in postre-
mis habeant, non aliud occurrit cer-
tius, quam quod & ipsi necessariis ad
poëticam præsidiis careant. Quod igi-
tur in illâ neglecti sermonis jejunita-
te non vident, id, ut inscitia plerum-
que

que res fastidiosissima est, velut inutile, aut longè infra se posatum despiciunt, judicij sui in tantâ corrupte, & inquitate loquentium scribentiumque multitudine securi. At tu etate tuâ nunc uti incipe, atque illud paullatim entere & elabora, ut magno elegantiarum omnium instructu ornatûque ad hac tractanda studia te effingas. Eo certè consilio domesticum tibi exemplum, qui stimulus acerrimus est monendi, ante oculos pono. Quo si te incitari videam, ne ego posthac non modò te, sed etiam Musas meas plus amem. Nec labore, si quis, qui ex eorum necesse sit numero, quibus poësis in contemptum venit, in me conjiciat, quod Q. Cicero Marco fratri, exemplo illum suo in publicum lucemque forensem extrahere cupienti, respondesse fertur. Abhorrebat is, sive iudicio, ut dicebat ipse de se, sive, ut eloquentia pater Isocrates, pudore & ingenuâ

genuâ quadam timiditate à tribunâ libus, tractandisque causis: ac proinde familiariter & jocandi gratiâ solitus erat dicere, unum satis esse non modò in unâ familiâ rhetorem, sed penè in totâ civitate. Dixerit hoc vir prudentissimus joco planè sapienti ac serio, quod non ignoraret in tantâ litium æquè ac patronorum frequentiâ forum, velut ægrotæ ac propè desperatae Reipub. partem, remediis laborare. At si Poëta elegantiarum omnium florem, si sublimiorum scientiarum ornamenta, si rerum benè prudenterque gerendarum præsidia penes se habeant, si ut verba, sic mores componant, cur aliquis tam parcè tamque restrictè illorum numerum præfinendum putet, ut nolit quemquam sicuti sanguinis, sic horum studiorum cognatione alteri devinctum teneri? Ego verò te, Petre Iacobe, ad quem justis veluti tabulis aliqua poëticæ laudis per

peruentura est hereditas , cauere te
jubeo , ne hanc nihil locupletiorem
fecisse videaris . Quocircà ut animum
tuum ad hæc studia impellam magis ,
te ad Ciceronem , qui tibi brevi in
manibus habebitur , voco : eamque à
te iterùm atque iterùm legi epistolam
volo , in quâ Leptam viri clarissimi
filium , suavissimum puerum , pari for-
tassis tecum atate atque indole , hor-
tatur , non ut evolvat tantum , sed ut
ediscat Poëtas , & habeat in ore præ-
clarissimas eorum utilissimâsque senten-
tias . Ciceronem itaque cùm tractare
primùm cœperis , sic manibus teres , ut
quoties in hunc epistolæ locum inci-
deris (incides autem meâ causâ sa-
piùs) simul memineris ita tibi in li-
teras incumbendum , ut cùm ad Poëtas
veneris , Leptæ Romani illius pueri
quadam emulatione eos possis & cum
fructu legere , & ediscere cum volup-
tate . Tu interim , ut , iisdem ferè te ver-
bis

PROTREPTICA. 335

*bis alloquar , quibus apud Virgiliū
regia mulier Ascanium , spem surgen-
tis Roma ,*

Accipe, Musarum tibi quæ mo-
numenta mearum

Sint , puer, & longum patrui te-
stentur amorem.



APPRO

APPROBATIO CENSORIS.

Sum ex iis qui mirer antiquos : non tamen, ut quidam , temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa & effeta natura , ut nihil jam laudabile pariat. Atque adeo legi Jacobi Vallii Poëmata ad exemplar veterum scripta, tam bene , ut esse quandoque possint exemplar. Ita quibus olim verbis Virginii Romani Plinius, ego hujus poësin prosequi mihi posse videor.

a Plin. lib.6. Epist. 21.

*Christianus Voochts Canonicus,
& Archid. Ant. Lib. Censor.*

FACULTAS R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU.

Ego Thomas Dekens Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Provinciâ Flandro-Belgicâ, potestate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Præposito Generali Gossvino Nickel, facultatem concedo, ut P. Jacobi vande Valle Societatis nostræ Sacerdotis Poëmatum libri novem, eruditorum ex eadem Societate nostrâ virorum judicio probati, typis excudantur. In cuius rei fidem literas manu meâ subscriptas , & sigillo officii mei munitas dedi Mechliniæ xxv. Augusti , anno M. DC. LX.

Thomas Dekens.

FINIS.

